ILLUSTRISSIMI
PRINCIPIS
DUCIS
Cornubiæ
ET
COMITIS PALATINI, &c,
GENETHLIACON.



CANTABRIGIÆ,
Ex Officinâ *Joan. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ
Typographi, 1688.

GENETHLIACON.

Ad REGEM.

SOllicitis tandē expugnavimus æthera votis;
Nec Superi nostras sustinuêre preces.
Jam nihil, ô Cœli, querimur, quòd lenta dedistis
Munera, quùm tantâ sint pretiosa Morâ.
At Tu, *Magne Pater Patriæ*, cui Fata dederunt
Prole novâ *Augustam* continuare domum;
Grande *Stuartiadûm* repetens ab origine nomen
Tot præsume animo sec'la futura tuo.
O quantos in bella Duces! in debita Reges
Sceptra Tuus generet *Martius* ille *Puer*!
Cui teneros sensus, animumq; ad grandia natum
Fingere crescenti sit *Genitoris* opus.
Sic quando invideat terris Te Regia Cœli
Laxet & *Æthereas*, Te veniente, Fores;
In *Nato* videare *Pater* juvenescere; nec tam
Decessisse *Senex*, quàm rediisse *Puer*.

Ad

DUCIS CORNUBIÆ

Ad REGINAM.

ET Tibi, *Diva Parens*, partûs lætata triumphis
Granta sacros supplex volvitur ante pedes:
Pronaque formosæ delibans oscula dextræ,
Hæret adhuc dubitans, visaque velle loqui.
At quales laudes, aut quæ præconia tantis
Exæquet meritis officiosus Amor?
Nunc inopé se sentit ovans; & amabile vinci est,
Quùm tua, ceu Cœli munera, nos superant.
Italia usque tibi geminet per nomina honores;
Augeat & titulis ingeniosa novis:
Grata magis, T*u Diva*, Tuisque acceptior *Anglis*;
Cognita queis solo nomine *Matris eris*.

Jo. Mountagu, Procan.

Geneth-

GENETHLIACON.

Genethliacon PRINCIPIS.

MUnera Divorum JACOBO *Cæsare* gratis
Mentibus *Angligenæ* recolentes maxima, eorum
Obsedêre diu geminatis limina votis,
Ut placidi annuerent, nè terras linqueret astris
Miscendus, sec'lis at nectens sec'la peractis
Æternùm regeret *Britones*, & pace foveret;
Audiit Altitonans æquus moderator *Olympi*
Sed (nè sit fraudi JACOBO Heroica virtus
Nè spoliet cœlo, & cumulet sine fine labores)
Abnuit, haud tamen æqua negans solamina votis;
Ecce novam sobolem cœlo citò misit ab alto,
Quæ solium illustret serò redeuntis ad astra,
Pacatosque beans patriis virtutibus *Anglos*
Transmittat stirpem longæva in sec'la *Stuartûm*.

Gulielmus Villiers, Filius natu minor *Georgii*
Vicecomitis de *Grandison*.

Ad Serenissimam REGINAM MARIAM *Beatricem*.

PLaudamus igitur exitum optatissimum
Pulchrè ominantis Nominis.
Jam tandem abundè te *Beatricem* probas
O fausta Mater, quæ *Beas*

Magnum

DUCIS CORNUBIÆ

Magnum Jacobum, totam & *Augustam* Domum;
Sed & *Britannos* insuper,
Hiberniamque proximam qui possident,
Coloniasque plurimas
Quas Occidentis segregant procul plagæ.
Perge ô *Beatrix* optima
Tuos *Beare*: *Mater* & dici velis
Patriæ, Jacobus ut *Pater*.

Jo. Beaumont, Coll. S. Petri *Præfectus*.

FLoret Io! Princeps, natus famulantibus astris,
Hæc merces damnis digna Maria tuis.
Jam fœcunda satis Laura es, licèt invida tantum
Fata diu nobis detinuere bonum.
O votis major Proles! Fiducia regni!
Optandum Gentis Præsidiumque tuæ!
Non aliter Persæ venerantur *Apollinis* Ortum,
Quàm celebrat Lumen Terra *Britanna* novum.
Quid non de Tali speremus Principe, virtus
Quem *Britonum Italicis* dotibus aucta beat?
Eïa age deliciæ superum cunabula cingant
Et *Venus*, & *Charites*, somnus, & alma Quies.
O fœta hoc munus poscas Regina quotannis,
Ut celebret partus Musa beata tuos.

Johannes Coplestion, S. T. P.
Coll. Regal. *Præpositus*.

Ad

GENETHLIACON.

Ad PRINCIPEM recèns Natum.

SAlve, Magne Puer, *Princeps* dulcissime, *salve*,
Grande decus Terris præsidiumque Tuis.
Multa reluctanti Cœlo pia vota Tuorum
Extorquent Te vi præripiuntque sacrâ.
Scilicet is Superis mos est, mortalibus aptus;
Tardè largiri maxima, quæque placet.
Gratia major inest parvis ex Tempore natis,
Dat pretium magnis ingeminatque Mora.
Cum populi invadunt cœlos, atque agmine facto
Suppliciter tentant solicitantque Deum;
Cumque fatigatum lachrymis votisque lacessunt
Numen, & à precibus nulla movere potest
Seu mora, seu ratio; *certa est victoria votis*,
Atque Deus pleno Numine totus adest.
Panditur immensùm sanctè spoliantibus omnis
Thesaurus Cœli, Gaza superna patet.
Anglia sic scandit Cœlum, sic *Numen* adorta est,
Sic premit & votis obsidet Illa Deum.
Te volumus, *Princeps*, unum *Te* poscimus omnes,
Pacem non alio munere *Numen* habet.
Jugiter hoc omnes, hoc nocte dieque precamur,
Et voce hâc unâ personuere Poli:
Quid fit? Cœlo nempe suo sic more placebat
Vinci, nec solito durius esse potest.
Annuit (en) tandem, àc orando vicimus; in *Te*
Votorum, *Princeps Maxime*, *summa* fuit.

Sit modò longævum quod tanto constitit, & non
Has, malè, lætitias auferat ulla dies.

Humf. Gower, S. Theologiæ pro Dominâ
Margaretâ Professor, & *Coll. Div.*
Johan. Præfectus.

EJa canoræ Diva sciens lyræ,
Thalia nervis & fidibus potens,
Ardescit audax, & recepto
Mens titubat furiata Divo.
Agnosco motus pectoris entheos;
Augusta, Tu cunabula concine;
Festoque partus pange plectro &
Auspiciis quibus ortus infans.
Heroâ mandas Tu fidibus meis;
Tu fila mollis tinnula barbiti
Tollas & audax efficaci
Ore tonos fidicen triumphos.
Parentis alvi progenies onus,
Illustris exit, nescia carceris,
Anhela vitæ, perque, claustra
In placidas penetravit auras;
Maturus Heros, Quam deamabilis
Quàm bellus instat; magnificè ferox?
Decorus armis, dat comantem
Per scapulas fluitare cristam.
Et jam minacem nudat *Acinacem.*
Bellator & circumrotat igneum.

Io

GENETHLIACON.

Io Triumphe! quantus hostes
Ense suosque patrisque sternit.
Britanna discet vincula *Gallia*;
Lambetque repens *Belgia* pulverem;
Sedebit altùm dum paterni
Æquoreus moderator orbis.
Et jam procellæ denuò concidunt,
Post fulminantes aurea pax minas,
Affulsit agris, & serenas
Explicuit super arva pennas.
Jam jamque diri fulminis immemor,
Ferrum reponit pignus *Adorea*,
Oblitus irarum; inde magni
Incipient properare menses.
Macte esto cœlo progenies data;
Te forma matris vincere virgines,
Virosque jussit Te parentis
Magnanimi superare virtus.

Hen. James, Coll. Regin. *Præses.*

Τεκνογονία

Salutis Britannicæ *Assertio.*

SErvamur. Longè hinc, ô longiùs ite profani;
A partu ventris summa petenda *Salus.*
Salva, quid hæretis? *salva* est Regina MARIA;
Quæ *servat* reliquos Ipsa perire nequit.

Salvus Jacobus, Rex Maximus, Optimus; Ipse
Salvus item, *salvos* vultque jubetque suos.
Servamur, nisi nos *servari* nolumus, Omnes;
Omnia nunc natô Principe, nata Bona.

Ad Angliam.

EST Deus, haud frustrà fumant Altaria, curat
Et curabit res, *Anglia*, crede, tuas.
Felix, æternùm felix, cui Diique Deæque
Arrisêre omnes, Fata placere student.
De cœlo missus Princeps gratissimus: ultrà
Quid quæris? Patrem fert referetque suum.
Regius, Augustus, Qualem exoptavimus, Heros,
Gloria, Amor, Patriæ Deliciæque suæ.
Quid non jam verè *Fortunata Insula* speres?
Nil tibi, ni deerit, quæ tua culpa, Fides.

Joshua Basset, Coll. Sid. Suss. *Magister*.

Hende-

GENETHLIACON.

Hendecasyllabi Turcici.

صاغ اولسون حضرت سلطان يعقوب خان
انك ظللنده ساكن جمله انسان
بحرده يرده منصور ايله يا رب
مظفّر قيل اني اعداسنه هب
صاغ اولسون شاهزاده صاغ اميدي
مملكتك مبارك استحكامي
رحمان هر بلادن حفظ ايلسون
زماندن طشره ممات كوسترمسون
صراط مستقيمده هدايت بوله
كلّ عملّرينه نصيب اوله
شمسك تا صويندورلنجه نوري
شاهك باقي اوله دولتلو نسلي

Jo. Luke L. Arab. Pr.
Col. Chr. Socius.

Ad

Ad REGEM Invictissimum Clementissimumque de REGINA PRINCIPEM enixa.

IRa memor, metus indignus, vel prava cupido
Quos urget, Cœli non reddunt dona beatos.
Frugifera ut vitis Tua Conjux, Regius inquit
E Solyma vates. Tali de palmite fructus
Cui non perdulcis, vitiosa tabe palatum
Conficitur. Populo fundit Stirps Regia vinum,
Non modo sollicitos Divosque Hominesque serenans;
Sed mixtum placidâ Medicæi Patris olivâ,
Sanans diviso confixos orbe *Britannos*.

Nath. Vincent, S. T. P. *Aulæ Clarensis* Præses.

Carmen Gratulatorium.

ATria Principibus *Ceras* implete capaces,
Aucta *Palatino* sanguine surge Domus.
Verna maritalem decorârunt stemmata cestum,
Perque *Cupidineas* invaluêre moras.
Post animi pia vota, preces, *Mutinæque* labores,
Albion auspiciis stat radiata suis.

Læta

GENETHLIACON.

Læta movet *Juberna* Lyram, ſtrepit ultima *Thule*;
Lucinam reſonant *Arviragumque* Proci.
Natalem *Carolo* Majus parat, impiger *Anglo*
Junius Hæredi Solſtitiale Jubar.
Longiùs ut Tanti celebretur Gratia Partûs,
Contentus minimâ Nocte *Britannus* erit.
Ventilat optatos jucundior aura ſuſurros,
Pandit odoratas æmula *Flora* dapes.
Maturant virides *Cerealia* munera ſpicas,
Tardior in donis nec *Cytherea* manet.
Aſtra Quis incuſat, *Cancro* torrente *Syenem*?
Si fructus Uteri Terra Poluſque rigant.
Quis Pharetram renuit? Quis cæcum, credit Amorem?
Dum caſtos animent Solque *Venuſque* Toros.
Jam puro nitet axe Globus, Cunaſque ſalutans
Penè fatigatis *Phœbus* anhelat equis.
Currit Turba frequens, vocemque per ipſa volutat
Agmina; conglomerat Plebs, variatque vices.
Tinnit in aure ſonus, crebris micat ignibus æther;
Murmurat in refluo vix *Catilina* foro.
Criſpa lavat *Thameſis* vicinæ Marginis oras,
Angliacis cedat *Tethyos* unda vadis.
Mutua *Caſtalides* libârunt Gaudia; Plauſu
Granta ferit ripas, ſic *Rhydicina* ſoror.
Secula prægnantem Regali ſtamine fuſum
Noſtra vovent, Gravidum Prole Futura canant.
Laus Aliis pretiumque ſuas vagire *Camænas*,
Cœpta Dicat Tacitæ conſcia Muſa Deæ.

Ad

DUCIS CORNUBIÆ

Ad REGEM.

JUra Parentis habes, ter faustâ stirpe beatus;
Et Regni triplicis debita jura tenes.
Nobilitas Vati fuerit licèt unica, Virtus;
Post tres Imperii Quarta Corona Tibi est.
Natus honos, Patris probitas, clementia Fratris,
Pignora sint; fixo nomine *Justus* eris.
Mente potens, opibusqne simul, Divo omine Regnes;
Circulus augurio fertilis, Annus eat.
Addit vim Gladius, reddunt Tibi Sceptra Columbam;
Fortiùs ut vincas omnia, Pace domas.
O Qualis Quantusque JACOBUS in Orbe sereno!
Damna reformidant Quem nova, prisca juvant.
Te Regem *Britones*, Generi voluêre Parentem;
Major eris, si Te fecerit Annus Avum.
Ditet *Pactolus*, Fortunæ rivus inauret;
Et numerosa *Tagi* volvat arena dies.
Ut tradant *Scoti* chartis mansura, Coronam
Suggesto tectam delituisse ferunt.
Nempè sacrum agnoscit Cleri sacer Ordo Monarcham,
Et Regem memorant Rostra diserta suum.
Da veniam, Princeps, rarò subit error amantes;
Nil veniam dubitat Relligiosus Amor.
Cùm veneretur ametque Ecclesia fida JACOBUM;
Dispeream, si non officiosa colat.

Alitèr

Alitèr.

NE mala ventosi spirent mendacia folles,
Innocuum caveat noxia lingua Ducem.
Scire cupit secreta Domûs vafer unus & alter:
Auritus Testis, sive Oculatus erit.
Sin habet auriculas Perjurus, vivat Asellus;
Argus & in Tergo livida signa gerat.
Pierium fingunt insomnia vana Poëtam,
Molliùs è placitis nascitur Ille Tuis.

Ad PRINCIPEM *recèns Natum.*

SIquis *Pandoræ* conturbans pyxide Gentem,
Ambiat illicitâ Regia Sceptra manu;
Iste revertentis Vir fortè *Platonicus* anni
(Nusquàm venturi) Regnet in *Utopiâ.*

Ad REGINAM *Puerperam.*

ALa Diem recolat magnis Natalibus ortum,
Quem signat Festâ luce corusca Trias.
Regia sublimis stet Nomine fulta JACOBI;
Principis exortu Pulchra, MARIA, Tua est.
Ampla Beatricem clamant confinia Sponsam;
Miratur titulos *Sequana*, *Tybris* amat.

Quæ velut à Thalamis Tibi Gloria crescit *Eois*,
Fulget ad *Hesperias* (*Itala* Regna) Plagas.
Sic *Latias* solvit vera in præconia linguas
Et Formæ, & Partûs nuncia Fama Tui.
Digna Toro Conjux, & nato Principe Mater;
Digna Coronato Vertice, Vive, Vale.

V. Stubbe, S. T. P. Trin. Coll. *Soc.*

SUspensi longo dubiæ discrimine sortis
Hæsimus, ambiguâ miscentes gaudiâ curâ,
Quid lætum *Angliacis* contendens anxia fatis
Gestaret Regina utero: gravidâ nè tumescens
Masculus Imperii Sceptris prorumperet Hæres,
Lucinâ monstrante viam, sed par sibi Princeps,
An prognata suos misceret Filia luctus:
Spemque metumque inter positi. Quæ vota, precesque
Solliciti ardentes tremulo vix fudimus ore:
Poscimus & timidi certatim Oracula Cœli.
Tuque pias Regina preces, suspiria, vota,
Et lachrymas miscens orâsti sedula Numen,
Mirandum! At verè Christo affirmante, Tri unum.
Quis narret, JACOBE tuos pro Gente timores,
Votaque pro regno, mistos pro Conjuge fletus,
Effusasque preces, lætæ certa omina sortis.
Venit Sancta Dies, quæ magni conscia partûs,
Volvens *Angliacum* meliori lumine Fatum,
Exhibuit. Quem Tanta diù Fortuna manebat;

Nasci-

GENETHLIACON.

Nascitur En Princeps! cupidæ Præsagia Gentis;
Vicit JACOBI Fortuna, & Publica vota.

Ad PRINCIPEM.

MActe Puer Virtute, His longùm Debite Regnis,
Debite JACOBI magnis virtutibus Hæres,
Europæ venture Decus, spes prima Parentum,
Et Desiderium pacato tradite Cœlo.
Præreptus medio discessit *Carolus* ævo,
Ut Tibi venturo cedat, sic ille Nepotem
Hâc voluit mercede dari, ô! sic ordine Fati
Gens *Stuartorùm* decurrat, detque secures
Mutua Progenies, sic crescas Nobilis Infans,
Præteritis Major Proavis, specimenque Futuris.

Geo. Oxinden, LL. D. *Aul. Trin.* Senior
Soc. & Regius, in Jur. Civ.
Professor.

DElphinosque Ducesque Suos jam *Gallia* jactet,
Bourboniam gentem, numerosâ prole Superbam;
En! quem vel Solum opponas simul omnibus istis,
Quem meritò conferre queas simul omnibus unum.
Non *Salicæ* leges, non jura injuria nobis
Illustre hoc Munus, donum immortale dedêre;
Sed jus nascendi, naturæ immobilis ordo,
Et Superi faciles, grata indulgentia Cœli.

DUCIS CORNUBIÆ

O multùm dilecte Deo, dulcissime *Princeps*,
Quò tua *Te* astra vocant ? in quæ pia vota resolvam
Ora, Salutiferis precibus tua Numina mulcens ?
Adsit *Avi* pietas, *Atavi* prudentia ; mista
His *magni* accedat Constantia Summa *Parentis*,
Nescia mens flecti, atque Animi imperterritus ardor.
Tuque Sacri *Consors* thalami, volventibus annis,
Sæpiùs aucta pari Nostri *Jovis* incremento
Da stabile Imperium nobis ; firmesque *Britannis*
Sceptra Sua, ignotam vix admittentia dextram.

Joh. Billers, Publ. Acad. Orat.

Natus PRINCEPS.

ERgone *Dii* tandem tot pensavere Labores,
Duraque vexati toties conamina Ventis ?
Ergone progenuit Regem Regina futurum,
Regnandamque dedit nativo Principe Gentem,
Externis nondùm jussam succumbere *Divis* ?
Non frustrá assiduis lassavimus æthera votis ;
Ecce pium prodest certamen ; Nascitur Infans
Opportuna ferens dubiæ solatia Terræ !
Angliaca stabit (video !) rata Gloria Gentis ;
Cum sic numinibus sic conjuratur amicis,
Ut simul auspiciis defendere regna JACOBO
Posse suis fuerit, cœlo rapiente, negatum,
Eximius magno Patri succedat *Iülus*.
En jam Regales gestit præsumere Laurus,

In

In cunis clemens & formidabilis Infans!
Macte Patri similis Proles; sed firmior ætas
Sentiat Exilii proh! nulla incommoda duri,
Mutatamque fidem, atque eversæ funera Gentis,
Nec rabiem maris, aut diri suffragia cœtûs.
Magnum Fata parant: nec, credo, sine omine læto
Discordes aliàs animi sic Principe nato
Gaudent unanimes, & jungunt consona vota.
Fortunate Illum Superi: sit dextra JACOBO
Par, ceu bella cupit, ceu mavult fœdera pacis;
Vicinas, modò quas terrent cunabula, gentes
Debellet, nullumque sciat victoria finem.

Cæsar Crouch, Proc. Sen. *Coll. Regal.* Soc.

CUm stetit excelsus Princeps propè limina vitæ
Perfurit in claustris, indignatusque teneri
Debilibus vinc'lis vitales rumpit in auras.
Noluit ulteriùs tremulas fluitare JACOBI
Spes magnas; almæ nec delassare parentis
Vota, precesque Deo quas quâque litaverat horâ.
Impiger ille petit nativæ gaudia lucis,
Gaudia, quæ matri pleno feret *Italus* ore;
Quæ patri *Angligena* ventura in sec'la reponent.
Non est mirari cur fratres atque sorores
Omni ex parte tui subitò cecidere sub Orco;
Nondùm consiliis Divûm natura creârat
Perfectum satis Heroem, qui sit caput ingens
Mundi, qui *Seras* ultrà dominetur & *Indos*;
Auriferumque *Tagum* nostras transmittat in undas.
Te tenerum in cunis totus circumvolat orbis,
Gallia te metuit, rorantes sanguine campos
Cressiacos memorat; tua stemmata *Scotia* jactat; *Ar-*

Arthurumque suum te *Cambria* læta salutat.
Æmulus æternæ laudis sis inclyte Princeps;
Longos enumeres terrâque marique triumphos;
Jungaturque Orbis diviso abs orbe *Britanno*.

Joh. Wotton, Coll. Regin. *Soc.* Acad.Procurat. alter.

Genethliacon PRINCIPIS.

ASpicis ut tumido *Tamesis* devolvitur alveô,
Ut rapidas impellit aquas, cursuque fatigat,
Immemor æstivæ sitis, & fervoris anheli?
Naiades accurrunt ripas, & lilia plenis
Alba ferunt calathis, pictæ quoque flore *Napææ*
Illecebras formæ jactant, & myrtea serta,
Conjugii lætum augurium, prolisque beatæ.
Præcipites majora trahunt spectacula fluctus,
Major cura movet *Tamesin*: dilectus *Iülus*,
Chara Deûm soboles, qui primas excipit auras
Vagitu tenui & mulsuro pectora *Thracum*.
Audiit ille sonum, cœlo gratissimus amnis
Audiit, & spumâ discussâ sedibus imis
Cæruleum caput exeruit. Tum corda stupere,
Tum defigi oculos avidos in imagine dulci,
Tum totos ardere animos Infantis amore.
Aspectus tandem pulchros invitus & hærens
Præterit, & narrat fluviis Heröa receptis.
Illi veloces currunt uno agmine juncti
Ad mare, *Neptunoque* canunt præconia laudum,
Fœlicemque diem. Pueri natalibus Ipse
Applauditque alacris, Superûm plausúsque lacessit.
Necnon exultant cœlorum cura *Britanni*,

Agnos-

Agnoſcuntque *Jovis* Numen, qui ſec'la reducit
Aurea, namque ex quo Princeps fœcunda beavit
Arva, ſuperfuſo tumuerunt nectare ripæ,
Subſultant juga pace, tenent placida otia campos,
Depulſiſque iris unum Gens ſpirat amorem.
Et ſylvæ, & picti teſtantur gaudia flores,
Pulchrum *Narciſſum*, Diſcique miſerrimus Error
Quem læſit, (Pueros quondam, nunc Veris honores)
Errantemque hederam, & violas ferrugine tinctas
Summittit paſſim tellus: nec pœnitet illas
Naſcendi traxiſſe moras, ſurgentis *Iüli*
Dum detur florere pares, & cingere crinem
Æquævum, nec adhuc validum diademata ferre:
Quin & honoratas frondes, & præmia mittit
Creſcenti puero, cupidiſque amplexibus urget
Dedignata Deum *Daphne*. Sic omnia vultus
Feſtivos præferre juvat; ſic *Anglia* tota
Dicit *Io Paan*: Reſpondent omnia *Paan*.
At tantos inter plauſus, & jubila tanta
Windſoriæ flevere arces, contaminat atrox
Luctus lætitiam ingentem. Quòd veſcitur aurâ
Princeps, quòd nova lux & ſpes fœlicibus *Anglis*
Affulget, ſublimi exultant vertice turres;
Sed non natalem eſſe locum, non mollia membra
Se tractâſſe manu, & gremio foviſſe recepta,
Hic dolor, hoc vulnus. Lachrymas quin protinus omnes
Abſtergis, cœloque minantia culmina jactas
Numine JACOBI, & *Georgi* pleniſſima moles?
Infans ille olim damnum penſabit abunde,
Et deſiderium explebit; dabit argumentum
Poſthac parietibus pictis, quo victa ſtupebit
Artificis miranda manus. Dii! Quantus in orbes

Aſſurget clypei, quo mittet tu bine ferrum !
Seu pacem, ſeu bella geret, ſacra tempora poſcent
Aut viridis palmæ, aut ramum felicis olivæ.
Externæ metuent urbes, diſcentque paventes
Virtutem longo ſpatio præcurrere tardos
Reſpicientem annos.
O ! quanto majora licet ſpondere *Britannis*
Dum ſe derivat genus alto â ſanguine Divûm,
Dum tener *Aſcanius* generoſæ ſemina flammæ
Abſtruſa in venis vegetat, dum Gloria gliſcit
Corde, & in antiquam virtutem, animoſque viriles,
Et Patris laudes, & Patruus excitat ingens.

Geo. Stanhop, A.M. *Coll, Regal.* Soc.

HActenus illuſit miſeros ſpes vana *Britannos*
  Auguſta uſque fuit quòd ſine prole *domus*.
Sive quod exortum eſt Regali ſemine, natum
  Riſit, defunctum luxit & una dies.
Regia deficeret nè linea, jure vereri
  Heu! quoties ſummo terra *Britanna* ſolet ?
Naſcitur, at ſtirpis reparet qui damna, laborant
  Cuique laborabunt ſidera fauſta, Puer.
Gaudia quæ patrem nato rapuere ? dolorum
  Oblita & mater parturientis erat.
Anglia in æternum puerique ab origine felix
  Facta ut ſit, ſoboles *Te* numeroſa beet.
Quod fiet cum nupta Viro ſit fertilis Uxor ;
  Et proavis raptos dent Tibi Fata dies.

Johan. Savile, Trin. Coll. *Commenſ.*

ODE.

GENETHLIACON.

ODE.

OCyùs, plectro quatiente, Chordæ
Ocyùs plaudant Animæ recenti!
Usquè quò Vocem reprimens canoram
Barbite pendes?
Cernis, ut cunis niveis reclinis
Mollior molles bibat aure cantus?
Cernis? infaustóque Supinus unco,
Barbite pendes?
Rumpe torpores. Age, lætus anni
Dona fœcundi cape: Parvus aulâ
Ludit Æneas, patrio renidens
Ore, suóque:
Hinc Domûs clarum Decus Esteensis;
Hinc *Stuartorum* novus Auctor (ex his
Fasciis quantum licet ominari) Il-
lustris & Hæres,
Scilicet mistus sedet ille Candor
Purpuræ, & gratâ placet Unione,
Qui vel ex vultu doceat Rosarum
Fœdera longa.
Hactenus nostræ cecinisse Musæ
Virgines audent teneræ Tenellum:
Sed quis Annosum celebrabit? ô quis
Arma Virúmque?
Concinat Mentem, Genus, Acta, Laudes,
Ille, cui, Venâ gravius sonante,
Temperat dextrâ sua largiore
Pocula Phœbus.

Carolus Beaumont, Coll. S. *Petri*, Socius.

DUCIS CORNUBIÆ

Ad REGINAM.

QUalitèr æquoreo cùm surgis Phœbe cubili
Dispellis radiis nubila nigra tuis:
Prole tuâ nostros ita sacra *Maria* timores
Fundis; consummans vota precésque pias.
Migrante ad Superos serò Patre, sceptra superstes
Illius exemplo multa per æva gerat.

Gul. Thompson, Coll. Sid. Soc.

CAndentiores, Nobilis *Albion*,
Sacro in Triumpho pande sinus, Tuæ
Ubique condiscant frementi
Lætitiâ resonare rupes.
Túque æstuosas, Oceane impiger,
Quacunque fluctus egeris, omnibus
Narrare tanta oris memento
Gaudia; amabilibúsque eunti
Aspiret auris dulcè *Favonius*,
Et nubis expers lumine, quo Puer
Effulget, & Materna formæ
Gratia, rideat almus æther
Desideranti nascitur *Angliæ*,
Quem nostra dudùm sollicitâ omnium
Spe devocârunt vota, sola·
Sed potuit pietas Parentum

Mere-

Mereri, amico cognita Numini:
Polo jam ab ipso, ipsius amor poli,
Descendit, exortúsque nostras
Floridulo beat ore terras.
Qualis recentes purpurea exhibet
Aurora vultus; aut Rosa mollibus
Se trudit in lucem tepente
Vere comis, aperitque frondes.
At Tu tenellis colla tuæ, puer,
Incinge Matris lactea brachiis;
Donec voluptas sit dolores
Præteritos meminisse major,
Quàm ferre acerbum vulnera tot fuit.
Beate! tu nunc in gremio tuæ
Fusus parentis pascis illi,
Sæpe tuis oculis ocellos,
Sæpe innocentes delicias facis;
Et nunc amœnos pectore somnulos
Ducis quieto, nunc apertis
Luminibus vagus usque ludis.
Clausúsque cunis exiguis jaces,
Quantus futurus! quem simul ad fera
Firmabit arma ætas, Paterque
Ipse suos animo addet ignes;
Non regnum avitum ceperit; ultima
Non terra, non lata unda potentiam,
Non temporis longæva famam
Innumeri fuga terminabit.

Richardus Shipton, Trin. Coll. Alumnus.

ÆMula quàm, *Cæsar*, tua fulgent Atria Cœli!
Et Stellis Laquear ridet utrumque suis!
Surgit ut hìc Sidus nativâ Luce coruscum!
Et nova se sistit Lactea, ut Illa, via!
Quàm miserè ergò suis adolebunt thura Priores,
Aut nullâ aut falsâ Relligione, Deis!
Inde struunt Mensas & Convivale Tonantis;
Hinc Cratera, suis haustaque musta cadis.
Sed quod vel finxêre Omnes, Locupletior Una
In veros haustûs exhibet, Alma Parens.
Nobilius Gemino depromit Fonte fluentum,
Quàm *Ganymedæus* quo *Scyphus* ora rigat.
Quin alias contemnat Opes, ità panditur omnis
Cui sinus, in Terris Diva *Maria*, Tuus.

J. Woodward, Coll. S. *Pet*. Soc.

DUm caneret laudes Regum *Rhodopeius Orpheus*,
Neglectæ repetens fila canora lyræ;
Concordes lusere ferâ cum tigride damæ,
Immitique lupo præbuit agna latus.
Tu nova plectra movens (magnum Jovis incrementum)
Musarum placidos Ducis ab ore sonos.
Dúmque regis terras patriâ Virtute, resurget
Aurea sub tali gens rediviva Duce.

Henricus Stonestreet, Trin. Coll.

GENETHLIACON.

QUicquid magnificum poterant vel Fata dedisse
Vel sperâsse viri, protulit una dies.
Hoc Oratores, hoc optavere Poëtæ
Quod donum hoc superûm supplet utrásque vices.
Exultant tria Regna simul, sperántque salutem,
Partes quisque suas officiosus agit.
Gaudet Musa Metris, & condit amabile carmen,
Nec velit officio nostra deesse suo;
Dat quod habet, majora optat, ter maxima vellet
Munera, sors votis si foret æqua suis,
Ad cœlos serus redeat, ter *Nestoris* annos
Vivat, dentque ratas Fata benigna preces.

Sic vovet, *G. Fownes*, A. B.
Coll. Pet. Soc.

Ad PRINCIPEM.

EXpectata diu, jam cœlo debita proles,
Sera, tamen nobis gratáque, chara venis.
Te Juvenes, teneræ téque optavêre puellæ,
Téque senes, Patriæ spem, columénque tuæ.
Carmine fatidico te olim cecinêre Poëtæ,
Numen Carminibus sentio adesse suis.
Sis bonus ô! felixque tuis: virtutibus annos
Anteveni; ut proavo doctior esse queas:
Ut superes pietate tuum, quem nulla tacebunt
Secula Avum: forti pectore vince Patrem.

Mori-

Moribus, ingenio, Matrique simillimus esto,
Quásque bonas artes *Itala* terra tulit,
Exemplo tam disce bono; tamen excole sedes
Musarum patrias: Te tua *Granta* cupit,
Te deamat, tibi parva sua hæc munuscula mittit,
Parva sed ingentis pignora amoris habe.

Tho. Walker, S. T. B. *Sid. Suss. Coll.* Soc.

REgia tergeminum cùm Proles edita Regnum,
Spésque animos hilares reddit opima bonos;
Cecropii, pia turba, Tibi gratamur alumni,
Gratamur Regnis, Rex IACOBE, Tuis.
Sacra, nec ignavis, suffimus limina votis,
(Non Cœlo sic thus, non mola salsa placet)
Crescentes superare novis ut laudibus annos
Possit, & *Ætolas* Ille domare feras:
Emeritum ut vitæ cursum virtutibus ornet,
Nostráque grandisonis cedat avena tubis:
Nec sua festinæ succidant fila sorores,
Quin priùs Augustos exprimat, æquet, Avos.

Tho. Goodlad, S. T. B. *Sid. Coll.* Soc.

ALma dies, quô te sacrabunt carmine Musæ,
Principe quæ nato nobilitata nites?
Auspice te magni incipiunt procedere menses,
Et vultu rident sec'la futura novo.

Tantis

Tantis pro meritis, ſemper ſine nube, precamur,
  Auctáque ſolenni ſemper honore redi.
Túque, ô Sancte Puer, divûm genus, aſpice ut omnis
  Hæc videt vultûs gens imitata tuos.
Aſpice quam lætus noſtris micat ardor ocellis!
  Ventura ut jamjam gaudia percipimus!
En quanto *Angliaca* rupes clamore reſultant!
  Reſpondent plauſu littora *Hiberna* novo.
Oceanúſque Pater charis placida oſcula terris
  Delibans, lætas lubricat almus aquas.
Et noſter *Camus* ſacris caput extulit undis,
  Cunctáque naſcenti viſa favere tibi.
Arriſere tuis mitiſſima ſidera cunis,
  Argutúmque tibi ſternuit omen Amor.
Te dedit ornatum cunctis Venus aurea rebus,
  Nec voluit quenquam prænituiſſe tibi.
Tu, cum forte Pater curis Regalibus æger
  Proſpiciet luſus mitior ore tuos,
Nunc tenerâ blandire manu, nunc dulce labello
  Ad lætum ride lætus hiante Patrem.
Nunc & floridulo fragrantia Matris ab ore
  Oſcula diripias, raptáque ſolve tuo.
At tibi, quâ primum trepidus veſtigia figis,
  Frondeſcat ſubitis ſub pede terra roſis.
Cúmque tibi vires firmet maturior ætas,
  Et virides ſignet prima juventa genas.
Vivida te virtus rabidos accendat in hoſtes;
  Et totum factis confiteare Patrem.
Quantos tunc cernet felix Auguſta triumphos.
  Quantus & à Muſis tum celebrandus eris.
Cernere jam videor victos, genibúſque minores
  Angliaco Belgas ſubdere colla jugo.

Purpu-

Purpureus toto mœrebit gurgite *Rhenus*;
Tunc & captivis mollior ibit aquis:
Ast alii illa canant, mihi laus satis afforet ampla,
Vel cunas digno si canerem ore tuas.

Thomas Hobart, Trin. Coll. Alumnus.

Ad REGEM.

MAgne Tuis titulis, sed major *Cæsar* in armis
Illustri tandem, Maxime, prole Tua;
Invidit tibi Parca Duci sacra pignora amoris,
Jam major Parcis, Rex, videare Tribus.

Ad REGINAM.

O MARIA, O Regum soboles, pariturâque Reges,
Te pariente, Tuus quam dolor ipse juvat.
Quid Tibi pro Tanto Nato Regina precemur
Sit Tibi sæpe Puer talis, & ille diu.

Ad PRINCIPEM *recèns Natum, morbóque gravi liberatum.*

HErculeum in cunis potuisti vincere morbum,
Fœlix omen adest, *Hercule* major eris;

Si

GENETHLIACON.

Si Fata auxerunt divinâ prole JACOBI
  Heu nimium terris, Fata inimica! Polum;
Jam vitæ reddant Tibi debita tempora Fratrum;
  Nam secus absolvi vix puto posse Deos.

REGINA ad REGEM.

CAsta suo Natum cum dat MARIA JACOBO,
  Quem de visceribus protulit Illa suis
Siqua fides, labor hic qui me premit, haud dolet inquit
  Gaudia vestra, meo at parta dolore placent.

S. Heyrick, A. B. *Trin. Coll.*

HAnc diem læti celebremus almam,
Quâ replet magni vacuos Penates
Principis, ditans solium paternum,
  Mascula proles.
Quæ togam exornans, rigidúmque Martem,
Impetus hostis reprimet protervi.
Dum vibret forti violenta belli
  Fulmina dextrâ.
Mortuo, natum, genitore forti,
Gallus horrebit, *Batavusque* fastu
Turgidus, pœnas tetricis minatus
  Hostibus atras.
Te puer nomen stimulet paternum;
Ut tuis freti auspiciis *Britanni*

W. Evelts. Nomen

Nomen exæquent animóſque *Olympo*,
Imperium orbi.
Exteræ gentes tribuant honores
Debitos; collatum aliis ſacratum
Splendeat nomen, velut inter ignes
Luna minores.
Serus interſis numero Deorum;
Vivus at ſummos, JACOBE, cœlos
Gloriâ tangas, ſpecimen daturus
Nobile nato.
Natus es dextris avibus, gubernes
Lætiùs regnum patrium precamur,
Nobilis Princeps, columen decúſque
Dulce *Britannis*:
Floreat ſub te pietas Themiſque,
Exulet dira improbitas, ſecundis
Cuncta ſuccedent avibus regenti
Principe tali:
Qui nihil parvum, medioere qui nil
Molietur, dextera contumaces
Corriget mores populi procacis
Viribus audax.
Duret in longum generoſus Infans;
Pérque non multis iter expeditum
Creſcat in mores patrios, avúmque
Provocet actis.

Laurentius Brodrick, Trin. Coll.

Luce

GENETHLIACON.

LUce magis Dilecte Puer, Te Turba novena,
Nascentémque suâ mulcet *Apollo* lyrâ.
Tu Patriæ Spes longa Tuæ dilapsus ab alto,
Terra nec invideat, Te veniente, Polo.
Nam cum promeritum Genitor conscendit Olympum.
(Sera sed æternum det diadema dies)
In te vivet adhuc Nato: sic tempore eodem
In terrâ, & cœlis Numinis instar erit.

Radulph. Carr, Trin. Coll. Generosus.

BArbiti argutas resonare Chordas,
Et diu mutas facias loquaces;
Dignáque Heroas memorare, *Musa*,
Plectra resumas:
Præbeas Vati pharetras sonoris
Laudibus plenas; agilisque promens
Conditum telum jaculeris arcu
Pieri docto.
Meta sit multo celebranda cantu
Diva *Latona* similis, recenti
Nobilis partu, patriæque nostræ.
O decus Almum!
Hæc velut *Phœbi* genetrix renati,
Insulam fœlice uteri dolore
Fixit errantem, stabilémque magnâ
Prole beavit;
Et suis, longam paritura Regum
Fertilis Mater seriem, *Britannis*
Addidit lætis animos colendi
Principis Ortu.

DUCIS CORNUBIÆ

Ridet in cunis adamandus Infans,
Provocat vultu *Veneris* puellum,
Eſtque cui cedas, *Cytherea*, Formâ
Regia Mater.
Et precor vivás generoſa Proles
Patris Exemplar nitidæque Matris,
Cujus illuſtres redimire certant:
Tempora lauri.
O puer multùm referens Parentes,
Junge Virtutes utriuſque gentis:
Siſque Matris Formæ Animique Patris
Splendidus Hæres.
Clara per Faſtos domus *Eſteenſis*,
Digna quam ſumptis imiteris Armis;
Illa quid non efficiet Tremendis
Juncta *Stuartis*?
Jamque naſcentis pueri Triumphos,
Et decus Magnum videor videre;
Neſcius Vinci ſequitur paterno
Bella furore.
Ille ceu flumen ruit impotenti
Impetu Victor, madet & cruore
En Trophæorum Juvenis ſuperbo
Dives honore!
Quámque depoſcunt Citharæ Scientem
Principis laudes numero carentes!
Amplior campus Meliórque nunquam
Carminis uſus.
Illa ſed viſuri inhient nepotes;
Túque Majori recitanda Vati
Imparem & noſtris humeris relinquas
Muſa laborem.

J. Cooper, Trin. Coll. *Soc.*

O

GENETHLIACON.

O Maria, ô Divûm soboles, genetrixque Deorum;
Quæ profers mater de *Jove* facta *Jovem*.
O tibi jam liceat faciles evolvere partus,
Et dare jam Patriæ pignora plura Patri.
Et Tu, divinæ Matris sanctissima proles,
Cura Dei, patriæ spes nova vive tuæ.
Annis *Saturnus*; linguâ *Cyllenius* esto;
Magnus *Apollo* capax excolat ingenium.
Sis Princeps fœlix, non lævo sydere natus,
(Nam decorant ortum numina trina tuum)
Sis fœlix; patrisque regas virtutibus orbem:
Et quum sis princeps, principe digna geras.

Guliel. Syddall, Coll. Magd.

Quàm meritò festos cumulas altaribus ignes,
Et prece votivâ resonantia templa *Sabæâ*
Nube reples, nimium dilecta *Britannia* Cœlo?
Dum Tibi Cœlicolûm vel Numina magna laborant,
Per nova fœlicem quò Te miracula reddant
Spes ultrà audaces, etiam ultrà vota beatam.
Nestoreos Regi cum nos optavimus annos,
Cum repetita Deos lassârunt vota, ut in uno
Continuent nobis *Saturnia* regna Jacobo
Terminus hîc precibus; nec tanto munere majus
Credidimus penes esse Deos: En! providus Æther,
Et Fata in nostram magis ingeniosa salutem,
Non tantùm hæc uni confirmant gaudia sec'lo,
Sed simul ad seros jam transmisere *Nepotes*.
Nascitur en! *Princeps*, inter cunabula magnum

Ætatis

Ætatis nostræ columen- quam grande futurus
Venturæ! Hoc (Superi) concesso pignore, nostra
Gaudia nituntur stabili fundamine, nunquam
Fortunæ refugæ, aut inimico obnoxia Fato.
Securis, *Auguste Puer*, Te sospite nobis
Aurea continuo ducentur secula filo.

At Vos, *Cœlicolæ*, queis nostra *Britannia* cordi,
Cœlestem in sobolem Cœlestia fundite dona;
Sit, *Venus*, & *Charites*, vobis Infantia curæ
Principis; erudias Juvenem Tu docta *Minerva*,
Atque armata virum; sis inter prælia *Mavors*,
Jupiter in solio custos; sed ut omnia in uno
Complectar voto, sit verè Regia Proles,
Et quod majus adhuc, sit Magno digna JACOBO.

Joh. Colbatch, A. B. *Coll. Trin.*

DIvum Progenies Puer,
Te nascente, diem, quæ nitet aurea,
Quid tristem facis? Atria
Dum lætata, tuis questibus insonant.
De cœlis novus Advena
Cum sis, Terra oculis grata minus tuis?
Non cœli absuerint Tibi,
Matris nempè oculos sideribus, suis
Certantes radiis vide;
Et Te crede Polum cernere lucidum:
Dum dulci in gremio lates,

Oble-

Oblectet querulum Te via lactea.
In nos Numina conferunt,
Dum Te, Chare Puer, clarius indicant
Virtutes quot, & arduas,
Angustis valeant claudere terminis:
Sic quicquid Polus ambitu
Immenso capiat, sphaerula continet;
Solertis labor ingeni.

P. Sayve, Trin. Coll. Alumnus.

VEr erat, exactum referebat signifer annum;
Spargebatque comâ Sol meliore diem:
Luxuriat tellus varios imitata colores,
Et natura suas prodiga pandit opes:
Personat omne nemus, dum garrula turba volantûm
Argutum liquido fundit ab ore melos:
Omnia molliculos inspirant leniter ignes,
Certáque non unus spicula jactat amor.
Jupiter (ut perhibent) Patrio delapsus *Olympo*,
Quos olim vidit lumine, quaerit agros.
Est locus extremi discretus limite mundi,
Anglia, quae priscis Angulus Orbis erat:
Insula dives opum, Genitrix foecunda Virorum
Et Fortunati nomine digna Soli:
Hanc petit, & lustrat, lustratam agnoscit, & inquit,
"Salvete ô votis regna petita meis.
"Felix, qui placidas cohibet moderamine gentes,
"Felix qui placido subditur imperio.

"*Æthio-*

DUCIS CORNUBIÆ

" *Æthiopum* ſacra Terra vale, majora petuntur,
" Hactenus *Arctois* quæ latuere plagis.
Intereà ſubit alma *Venus* mirata *Tonantem*,
Et levitèr ridens talia dicta dedit:
" Cœleſtis Præfecte Chori Tua Numina ſentit,
" Et canit alternis ſylvula quæque modis.
" Succreſcunt flores, dives ſua germina Tellus
" Edit, ubi cordi ſit tibi ferre pedem.
" Naſcuntur flores inſcripti nomina Regum,
" Reginæ thalamos quælibet arbor habet.
" Fabula narratur totis lepidiſſima ſylvis,
" Fabula difficilem vix habitura fidem.
" Geſtat onus gratum Gentis ſpes una *Britannæ*,
" Et, *Lucina*, Tuam poſtulat ægra manum.
" Jam major ſolito rediviva *Britannia* ſurgit,
" Neſcia lætitiam diſſimulare ſuam.
Dixit, & intonuit lævum; Regina levatur,
Illuſtri Puero ridet uterque Parens.
Creſce Puer Patriæ ſpes, Patris gloria, Gentis
Et decus, & columen, Portus, & ara Tuis.
Creſce Puer, Tibi vota ſenum, Tibi vota Juventæ,
Et Cœli facies omina læta ferunt.
Creſce Puer, cujus Natales lumine fauſto
Conſpiciunt Superi, Mitia Fata beant.
Clara *Stuartiadûm* Trias alto à culmine Cœli
Mirantur Gentis regna futura ſuæ.
Et plaudit ſibi quiſque Parens, Plebecula geſtit,
Et ſibi Præſentes credit adeſſe Deos.

Sam. Awbery, A. M. *Coll. Jeſ.* Soc.

Diva

GENETHLIACON.

DIva fave cœptis ; & plectra resume *Thalia*,
Nunc canere & festas liceat miscere choreas,
Nunc meritò gaudere juvet ; nam Regius Infans
Materiem lætis præbebit & otia *Musis*.
Dicite *Pierides* JACOBO nascitur Hæres
Qui nunc profuerint si vota, fuisset adultus ;
Instaurate melos, nec enim, licèt irrita vota
In præsens fuerint, serum venisse queramur.
Fausta quidem fuit illa dies, quæ claustra reclusit
Ventris, ut exiliit festinus ad ubera Natus,
Optavitque diem, charosque videre Parentes !
Qui miti imperio populos frænabit ovantes,
Majestate *Patrem* referens, dulcedine *Matrem*.
Has metuant *Belgæ* Cunas, hostémque futurum,
Hoc nascente timent, properantque ad fœdera *Celtæ*.
Vos ô *Pierides* Puerum celebrate tenellum
Qui posthàc usu, & seris maturior annis,
Augebit Victor titulis famamque decusque
Musarumque suumque simul ; spoliisque triumphans,
Sceptra subire jugum coget peregrina *Britannum*
Quà matutinus radios immittit *Apollo*.

Ed. Carteret, Generosus *Coll. Trin.*

CAsta laboranti succurre, *Minerva* Camænæ,
Proferat ut Cerebri jam Pia Mater onus.
Nascitur *Ascanius* Tibi parvulus *Itala* Mater,
Nascitur *Estea* spesque decusque domûs ;
Te blandè circumvolitat gens mollis amorum,
Dum, Parve, in *Veneris* ludis, *Iüle*, sinu.

Oſcula nunc Matri das ſemi-hiante labello,
Nunc Patris pendes totus in ora rapi.
Nunc ora in riſum ſtringis, quaſi gaudia Regni,
Et Patrias laudes, noveris eſſe Tuas:
Sic benè penſatis, Pia Numina, pignore in uno,
Quæ priùs abripuit mortis avara manus.
Huic, quam perdiderant fratres, date tempora vitæ;
Cunctorum inque unum munera juncta fluant.
Pergat prole uteri Regina beare *Britannos*,
Pignore Rex fiat Catholicuſque ſuo.
Non annos numeret, vitæve peri'cla, nec unquam
Rex, niſi per Natos, ſe putet eſſe ſenem.

In PRINCIPEM *ex Morbo convaleſcentem.*

VIx Natum, ad pugnam morbus Te Parve, laceſſit:
Inque tenella hoſtis viſcera ſerpit edax.
Exurgit Patria *Herculeo* de pectore Virtus;
Vincere ſcis, quamvis neſcius ipſe Tui.
Sic teneram haud ſinit *Alcides* torpeſcere dextram,
Anguibus illiſis, ſed *Jove* dignus ovat.
Fulmineum Hæredem ſic & probat Armiger ales,
Phœbeum haud refugo ſi ferat ore jubar:
Nunc &, morbe, places: ſunt ipſa pericula tanti,
Mollia non poterant fata probare Deum.

H. Dacres, Trin. Coll. Alumn.

Tandem

GENETHLIACON.

In Auspicatissimum PRINCIPIS ortum.

TAndem summa piis flectuntur numina votis;
Tandem sacra suam *Juno* ministrat opem:
En proles! quæ digna Patre est, quæ dignaque Matre;
Proles *Angligenis* gloria sola suis!
Cujus ut aspiciat vultum, *Titanius* undas
Serus in *Hesperias* Sol agitavit equos.
Tardius ire Diem conquæsta est *Cynthia* longum,
Nascentem cupiens læta videre Deum.
Non mage *Phœbeum* lætata est *Delos* ob ortum;
Non magis ob natum *Creta* superba *Jovem*;
Quàm fuit ob nostram festiva *Britannia* prolem,
Prolem, spemque hominum, deliciasque Deûm!
Cum tumidus primùm Regali pondere venter
Exultante tuâ Gente, MARIA, fuit;
Convenêre Dii, quæque immortalia dona
Infanti dabimus *Jupiter* almus ait:
Sit mea dilecto puero sapientia *Pallas*
Dixerit, & præstans sit mea forma, *Venus*.
Inquit *Atlantiades* blandæ modulamina linguæ
Donum sit, *Mavors* ampla Trophæa, meum.
"Munera, quæ restant, ut donem *Jupiter* inquit,
"Munera digna *Jove*, & Principe digna novo:
"Annorum hunc seriem longam numerare sinemus,
"Atque diu populis imperitare suis;
"Longùm conservare pios, & plectere sontes,
"Longùm tutari Jus, *Themidisque* Fidem;

" Quà vigil *Eoas* illustrat *Lucifer* undas;
" Quà radios lassus condit *Apollo* suos;
" Quà fluvii *Arctoi* glacie frænantur acutâ,
" Quáque udus tepido sibilat ore *Notus*;
" Victrici imperii fines protendere dextrâ,
" Hostibus & victis jura verenda dare:
" Et vitæ fessum, numerosâ prole relictâ,
" Felicem superûm scandere tecta senem.
Talia fatus erat, geminatis vocibus edit
Gaudia, magnorum læta corona Deûm.
Æmula & imperii cœlestia numina nostri,
Exoptant cœlos deseruisse suos.

T. Ayloffe, LL. B. *Aul. Trin.* Soc.

NUnc siquando canant Deæ,
Et nunc *Pieridum* barbita perstrepant;
Musas quid tamen invoco?
Musis nil opus est hîc modulantibus.
At Tu, Nate Dea Puer;
Cantanti faveas, *Angliacus* Deus
Cum sis; major *Apolline*
Vatem, etsi tenuem, me quoque dirige
Semper, cum citharâ canam
Te Divûm minimum, Numine maximum.
Nam proh! Numine quot Tuo
Vates, dummodo Tu nasceris, entheos
Quot solus sine *Pallade*,
Invitoque animas *Pieridum* choro?

Quòd

GENETHLIACON.

Quòd si tanta potes Puer,
Quantum mox poteris factus adultior?
Vel nascens rabidas feras
In cunis cohibes, *Herculis* æmulus:
Clamoresque vagos premis,
Et vulgi fremitus instabilis regis;
Et Nunc instar *Apollinis*,
Quo nascente stetit mobilis Insula.

J. Hilton, Trin. Coll. *Alumnus*.

Ad PRINCIPEM.

Nil miror quid tam lentè processerat æstas;
Et tam tarda rotas currenti præbuit anno:
Scilicet ante tuos fructum non ederet ortus,
Cui *Domino* paritura foret vix certa futuro.
Te nato, terræ facies quàm picta superbit,
Te rosa, te violæ, *Dominum* te lilia campi
Agnoscunt, mollesque genas ad basia tendunt.
Pinus deflexo præludens vertice tentat
Quàm bene te terræ *Dominum* pelagique salutet,
Quando sylva tuum tranabit mobilis æquor.
Vinea dum sponso curvis amplexibus hærens,
Puniceis onerare parat sua brachia gemmis,
Conscia lætitiæ tantæ sua vina requiri.
Tota tibi, *Princeps*, vernans natura ministrat,
Tu quoque cresce, *Puer*; Quercus *Brittannica* cresce:
Non deerunt hederæ circum te serpere nostræ.

Franc. Draper, A. M. *Aul. Pemb.* Soc.

REgius ut primùm lucem conspexerat *Infans*,
Talia concordi cecinerunt voce *Sorores*.
Currite dixerunt fœlicia currite sec'la;
Atque iterum toto surgat gens aurea mundo.
Nascitur auspiciis, & fausto Numine *Princeps*,
Debita venturo qui tempore sceptra tenebit,
Quique reget patrium patriis virtutibus orbem.
Hunc, avus & patruis cœli de sedibus altis
Spectant, & placidi distentant pectora motus.
Cambria turrigeros jam tollit ad æthera montes,
Atque sui plausu gratatur *Principis* ortum.
Gaudia nec tacito celabit pectore *Granta*,
Debita sed gratæ persolvent munera *Musæ*.
At tu, Magne Puer, quem tempora nulla silebunt,
Vive diu fœlix, lætorum cura parentum.
Cúmque *Pater* serus cœli conscenderit arces,
In tua flexibiles, *Princeps*, Rege jura *Britannos*.
Floreat & longâ sub Te gens pace beata.

Jacobus Shipton, Trin. Coll.

VErtice ab *Aonia* cantans descende *Camæna*,
In quæ, jam felix, regna *Britannus* habet.
Eja age; segnities ne te perversa moretur,
Illuxit nostro *Phœbus* in orbe, veni.
En *Princeps* natus! tantum sperare quis ausus?
Propitii certè Numinis indicium est.
Post hyemem tristem mox vere ineunte renident
Campi, florescunt omnia, vita redit.

Sic

Sic etiam tua nos (*Princeps*) præſentia lætos
Efficit, & mœſtos non ſinit eſſe tuos.
Vivas, & Regno tandem frendente maligno,
Præſis, ter magni *Patris* Imago tui.
Neſtoreos numeres annos, videaſque Nepotes
Innumeros. Votis annue ſumme Pater.

Val. Husband, Coll. Sid.

NOx erat, & molli cinguntur membra quiete;
Viſa eſt de cœlo fulgens deſcendere Virgo,
Ora manuſque deæ ſimilis, fuit & dea certè;
Surge, age, (Chare Diis) ſic ingens fatur imago,
Nec metuas, Regi ſed fer mea dicta JACOBO:
Poſt paucos ſoles, ſed ſole nitentior ipſo
Magna Anima (illuſtri ſuperûm comitante catervâ)
Deſcendet, mirâ perfundens omnia luce;
Tecta petet, quæ ſunt Nativo proxima cœlo:
Naſcitur hinc *Princeps*, quem ſecula nulla tacebunt.
Inſuper his ipſam Reginam affabere dictis:
Non tibi (Diva Parens) ſed toti naſcitur orbi
Infans, ſat tuus eſt utero geſtaſſe triumphus;
Cætera fata volunt.
Protinùs ingentem ruperunt gaudia ſomnum;
Et jam jamque feror ſupremi ad limina Regis:
Heu! pietas heu! priſca fides ignota Poëtis!
Me metus, & mala mens tanto fraudavit honore;
Et jam ſera canens ſileo; reddarque tenebris.

Gabr. Quadring, Coll. Magd.

Ad

Ad REGEM *de* PRINCIPE *nato* Junii *decimo eodem ſcilicèt die quo perduellis* Monumethenſis Dux *Ann. Dom.* 1685. *Primò conſpectus eſt oris maritimis Imminens* Angliam *invaſurus.*

QUi tribus abhinc annis atratus dies,
Qui metu, tumultu, & luctu fœdatus gravi,
Piatus *Mariæ* partu quàm nitet ovans!
Hoc primò impendit *Angliæ* parricidâ manu
Monarcha circumforaneus sibi Imperium deſtinans
JACOBUM cum ſtirpe excidio, & cædi bonos;
Hoc itidem mirandâ vice en! cælitùs datus
JACOBO Hæres, qui proſapiæ præſidium Regiæ
Sit piis ſpes, pax, ſalus, tutamen, decus:
Adverſis cumulatiora quàm reponit proſpera
Et quàm tempeſtivè tibi & tuis, *Rex*, favor Numinis!
Principem igitur Virtutum & laborum præmium
Tuorum, *Auguſte*, & Palladium *Angliæ*,
Soſpitem diù ſervet qui Largitus *Deus*.
Sit illi ſatellitio cœleſtis cohors,
Et greſſus flectat tuarum in Virtutum Tramitem,
Ut vel cœlis donato te ſolio detur perfrui:
Solſtitio æſtivo & *Triadi Solari* ſacro
Natus, & corporis & animi ſplendeſcens dotibus
Britannum Orbem illuſtret, exhilaret, beet,

Et *Ecclesiam* Triados curam Nutritius ſovens
  Gloriâ & prole mactus ſerus occidat.

Johan. Millington, Coll. Magd. *Soc.*

CReſce puer fœlix! nobis ævóque nepotum
  Certa ſalus, ſuperi pignora certa poli.
Te *Muſa Chariteſque* propinquo Numine curant,
  Aſſidet & cunis blanda *Minerva* tuis.
Ipſa *Venus* formæ, quos Matri, afflabit honores;
  Et Tua, quæ Patris eſt, bellica *Pallas* erit.
Temporibus flavum jam nunc circundatur aurum,
  Atque implet parvas aurea virga manus.
Mox & ſceptra feres; gaudebit & *Anglia* Mater
  Non invita tuo ſubdere colla jugo.
Candida compoſitis decurrunt ſecula bellis;
  Clauſaque ſunt *Jani*, cætera Templa patent.
Tu nunc pacatos, puer ô mitiſſime, vultus
  Exeris; atque armis non minùs aptus eris.
Belgica te trepidis horrebunt regna colonis,
  Et magnum credent rurſùs adeſſe Patrem.
Tu *Batavum* forti compeſces enſe *Leonem*,
  Martia proſiliens major in arma *Leo*.
Deſine, *Creta* tuum mendax jactare Tonantem,
  Jam patria eſt pueri terra *Britanna Jovis*.

Rob. Orme, Trin. Coll. Gen.

DUCIS CORNUBIÆ

Ad REGEM.

DUm bene Te populo ſpondes non defore veſtro,
Et patriæ obſtrictus legibus eſſe velis:
En! tibi pro meritis, Princeps celſiſſime, donum
Delapſum votis cœlitùs indè tuis.
Dii ſervate precor promiſſi pignus amatum,
Ut patrias laudes ſentiat eſſe ſuas.

Gre. Bruen, Coll. Jeſ. *Commenſ*.

EXit *Alcides* utero triumphans,
Natus à cunis Domitor ferarum:
Hic ſimul vitam tituloſque traxit
Principis Infans,
Regius cernit, Genitor, Corona
Cernit aptatum caput, & ferendo
Dexteram ſceptro, videt omne, quicquid
Regis in illo eſt.
Conjugem totam videt in Puello;
Se videt totum pater; ex utroque
Juncta Majeſtas coaleſcit uno in
Principis ore.
Rex amat, quod ſic *Puer* ora *Matris*
Exprimit, Conjux pia, quod *Paternos*
Induit vultus, & uterque, quos hæc
Unit Imago.

Hunc

GENETHLIACON.

Hunc Dies nostris dedit ille terris,
Quem Deo sacrum facimus Tri-uno;
Nascitur Regnis tribus hic regendis
Auspice cœlo.
Qualis effulget Puer involucris!
Invidet lætis *Erycina* cunis;
Tu cave, Nutrix, Dea ne puello
mutet *Adônin*.
Invidet Magni *Jovis* aula Cunis,
Tu cave mensas epulasque Divûm,
Ne Deus nostrum *Ganymede* pulso
Mutet *Iülum*.
Ille servetur titulis Avorum
Sec'la permensus Pyliæ senectæ,
Nec preces desunt populi, nec aris
Thura colendis.
Serior natus, redeat, suumque
Serior cœlum videat; bonas spes
Impleat læti populi, suique
Vota Parentis.

Ἦ πολλὼ ὄλβον ἔδωκε μογοστόκος Εἰλείθυια!
Χαῖρε μάλ' ὄλβιε κοῦρε, τρισόλβιε τῆς βασιλείης
Χάρμα τε μητρὶ φίλῃ, πατρὶ καὶ μέγα κῦδος Ἄνακτι.
Ἀστὴρ ὡς ζαθέοιο λελυμένος ὠκεανοῖο
Ἀθανάτοισι φόως λαμπρὸν φέρει, ἠδὲ βροτοῖσι
Ἐκ λεχέων Θέτιδος καὶ ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο
Ὀρνύμενος; (πάντες τε φρένας γήθουσιν ἰδόντες)
Τοῖον ἔπεμψε σέλας σε Πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Γαῖαν ἐς ἡμεδαπὴν λαῷ φωστῆρα γλυκάδην
Ἀνδράσι δυσμενέεσσι τέρας, μέγα χάρμα φίλοισι,
Σοὶ καὶ Σκῆπτρον ἔδωκε θεὸς νεαρῷ περ ἐόντι,

DUCIS CORNUBIÆ

(Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι, φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς,)
Αἰχμητὴν Βρεττανῶν μεγαλήτορα λαὸν ἀνάσσειν.

Gearing, Trin. Coll. Alumnus.

CAntat *Musa* carmen amabile;
Obliviosо rapta silentio
Orac'la nunc vulgate, vox &
Pierium penetret recessum.
Parcant *Camœnæ* jam querimoniis,
Latæ futuram Principis indolem
Versu renarrent altiori
Fatidico stimulante *Phœbo*:
Invisus horror gentibus exteris
Concussit oras terræ habitabiles,
Quæcunque senserunt Paternum
Robur, & indomitas catervas.
Parant triumphos Numina laureos,
Et spem reservant fausta superstitem;
Parcæque per cunas refusæ
Delicias animant tenellas.
En! prodit auctus Rex Sobolis Pater,
Crescente charo Principe, pulchrior,
Et sceptra formidanda Regum
Imperio adjiciet *Britanno*.
Hinc olim adulto quid poterit Duce
Sustenta Pubes Numine prospero,
Vis testis huic Patris, reductæ
Et domitis *Batavis* carinæ.

Scri-

Scribetur alti carminis alite
Natus, Paternis clarus honoribus,
Dum Musa per strages ab ipso
Sumat opes animumque ferro;
Pergas decorus, pulvere *Martio*
Sordere Princeps, qui celebrabere
Mox victor indulgens, amesque
Angligenis dare jura *Musis*.

Euge vocali gravidæ *Camœnæ*
Gaudio! carmen renovet novoque
Spiritu mentes moveat fidesque
Prona voluptas.
Seu per undantem vario cruore
Bellicæ laudes rapiunt arenam,
Seu quies vobis bona ferianti
Carmen in umbrâ est.
Nascitur *Musis* labor en uterque!
Nascitur Princeps populo *Britanno*;
Gaudium Matris, studium *Thaliæ*
Deliciæque.
Quid priùs vates operosus indè
Libero quæram celebrare versu?
Obruit rerum numerus, facitque
Copia egentem.
Gaudium gentis referam *Britannæ*?
Exerit sese magìs in micanti
Gratiâ vultûs, tacitisque prodit
Muta voluptas.
Concinam palmas memor an Paternas
Laude quas Natus cumulet recenti?

Me labor prægnans onerat futuri
Præteritique.
Patris invicti generosa proles!
Ipse eris cui mox meritis secundus,
Albion fœlix magis unde surgat
Principe utroque.
Carolo natum superi negabant,
Ut tua insignis titulis JACOBE,
Bellicis virtus Patriam & Parentem hâc
Prole bearet.
Numina in cœlo sociata spondent
Gaudii blandam seriem futuri
Angliæ, quam nunc reputem renatam,
Cum Duce tanto.

Ja. Brabourn, Trin. Coll. Alumnus.

In natalitia Celsissimi PRINCIPIS, *quæ in Festum S. Trinitatis incidebant.*

ALma dies! quâ non lux extat gratior ulla,
Nomen habens *Triadis*; nunc tamen aucta novo
Splendescis titulo; pandis mysteria Sacra;
Munera das nobis Numine digna tuo.
Nempe tuis, ô *Sacra Trias*! dum advolvimur aris,
Et prece consuetâ, dum pia vota damus;
Et dum suspensâ pendet gens anxia mente,
Quali jam tandem prole beanda foret:

Ecce

GENETHLIACON.

Ecce quod optanti divûm promittere nemo
  Auderet, nobis attulit ipsa dies.
Nam delapsa polo liquidas *Lucina* per auras
  Adfert, Reginam jam peperisse Marem.
Salve, *Auguste puer*; *Triadis* sub sydere Sacro
  Æquum est te nasci, quem tria regna manent.

Thomas Dacres, Coll. Magd. *Commens.*

In auspicatissimum PRINCIPIS *Ortum.*

ODE.

AUdivere boni *Dii*, tua vota, *Dii*
Audivere boni; cùm soboles Tibi
  Nata est, Terra *Britanna*,
  Regis progenie sata.
Ut sis propitium Numen & Insulis
Nostris, Magna Salus, & Decor unicus;
  Omnes voce precamur
  Divos assiduâ, puer.
Exultat tua nunc læta *Britannia*
Te nato, & Superis incolume ut caput
  Servent, vota benignis:
  Certat nunc sua solvere.
Ut tota *Aonidum* Turba cohortium
Flectit dulcisonis sidera cantibus.
  Te *Phœbus* canit ipse
  Te, Te Præsidium suum.

Te

DUCIS CORNUBIÆ

Te gens nostra suum *Palladium* vocat,
Fœlix nostra Tuo gens moderamine;
Te regnante, redire,
Ætatem videt auream
O quàm tèr cupiunt vivere *Nestoris*
Annos posse suum Te Decus *Anglici*:
Exorant Superos Te
Magnum reddere *Cæsarem*.
Jam tandem Superos novimus Insulam
Respexisse Tuam, Maxime Principum:
Quis donum haud *Jovis* esse
Credet Progeniem Tuam?
Quam læta ô faciet Regna *Britannica*
Sec'lis hæc soboles Regia posteris,
JACOBO similisve
Magno, vel *Carolo* optimo?

Rich. Kay, Aul. Trin.

In Auspicatissima Celsissimi PRINCIPIS *Natalitia*.

VOs mihi divinæ, Precor, aspirate *Camœnæ*,
Laudibus ut tanti decorem cunabula Regis,
Cujus Natali risit *Lucina* cupito;
Diique Deæque omnes luserunt limine Cœli.
Secula, quem tanti talem genuêre Parentes
Proxima laudabunt, nec laudes ulla tacebunt:
Imperium terris & famam terminet Astris.

Aspice

GENETHLIACON.

Aſpice venturo lætetur ut *Anglia* Rege,
Aurea maturo curſu revocabitur ætas;
Ancipitis *Jani* claudetur Janua Templi.
Vive igitur felix Divis prognate duobus,
Auſpiciiſque tuis felices redde *Britannos.*

Henricus Marriott, Coll. Magd. *Commenſ.*

VIxdum *Luna* ſuum novies reparaverat orbem,
Undique ſollicitâ populus jam mente pependit,
Ut vidit propiora optati tempora partûs;
Atque moræ impatiens, arrectis auribus hauſit,
Si quis fortè levis perſtrinxerat æthera rumor,
Perpetuis Superos votis, cœlumque laceſſens;
Cùm *Pater omnipotens*, mundi qui flectit habenas,
Divorum medius, ſummo conſedit *Olympo*,
Et *Britonum*, miti reſpectans lumine, terras,
Hæc fatur; ſolido voces adamante notari
Atropos, & foliis inſcribi, juſſit, aënis.
Anglia parce metu, non poſthàc gaudia veſtra,
Fataque, quæ vobis remanent immota, morabor:
Quam *Populi* precibus, *Procerum* quam voce petebas,
Exurget tandem, generosâ è ſtirpe *Propago*,
Et faſtos, hilari ſignabit luce, *Britannos.*
Non etenim inſidiis toties, cæcoque furore
Eripui Regale caput, ſolioque locatum
Ipſe manu propriâ ſacro diademate texi,
Ut, ductum antiquo longè de ſtemmate, Nomen
Grande *Stuartiadûm*, & ſeries turbata, periret.
Quin, pridem æternis decretus Legibus, Hæres,

Spes patriæ nunc fida suæ, Columenque futurum,
Protinùs è cœlo dabitur ; Tu, pectore grato,
Accipe nascentem *Puerum*, cunabula supplex
Accede, & Superos votis agnosce faventes,
Illius ætatem teneram (dum parvulus aulâ
Reptabit) primis elementis, sedula Virtus
Imbuet, & præcepta imo sub pectore figet,
Crescat ut, imperii dignus qui fræna gubernet,
Atque *Patrem* primis imitari discat ab annis.
Formabit docilem victrix *Bellona* juventam,
Innatasque, suo confirmans numine, vires,
Majorum ad palmas, & fortia gesta, ciebit.
Moribus his, nondum parto, præludet honori ;
At cùm sera Dies, & ineluctabile Fatum,
Annorum gravidum numero, Pacisque trophæis,
Addiderint Cœlo, tranquillâ morte, *Parentem* ;
Ipse manu forti *Proavorum* sceptra capesset,
Pacatosque reget patriis virtutibus *Anglos*.
Nec, regnante Illo, discedent aurea terris
Secula ; non litui strepitus, clangorve tubarum,
Ignotive diu crebrescent murmura belli ;
Sed, tacito current, labentia tempora motu,
Suprà urbes ibit niveis Pax candida bigis,
Ruraque complebit fœcundo copia cornu ;
Dum longè fugient Iræ, Fraudesque cruentæ,
Ægraque suspicio, & scissâ Discordia pallâ,
Post hæc, cùm, multos quod felix gesserit annos,
Demittet sceptrum, certâ illud Lege manebit
Venturam longè sobolem, serosque Nepotes.
Quin Tu, Diva, tori custos, *Lucina*, jugalis,
Reginæ faciles partus concede, labore
Et nullo felix uteri demittere pondus.

Jam,

GENETHLIACON.

Jam, decimo expectans sinuantem cornua Lunam,
Auxilium vestrum formosa Puerpera quærit;
Incipiunt jamjam Parcæ sua volvere pensa,
Candidaque aurato subnectunt stamina fuso.
Dixerat. Illa autem Regis mandata capessit;
Et citò magnificas Ædes, Thalamumque beatum,
E cœlo dilapsa, subit; mitique dolores
Numine compescens, nascentemque, omine fausto,
Suscipiens Infantem ulnis, atque oscula libans,
Materno in gremio ridentem dulce locavit.
Et Tu, nativo jaces securus in ostro,
Chare Puer; Regum Custos, populique *Britanni*
Invigilet capiti, *Genius*; pestesque nefandas
Arceat, & tenero depellat corpore morbos.
Te blandus semper Favor, & jucunda Venustas
Ambiat, ac vultu Majestas grata decoro;
Serta Tibi spargant *Nymphæ*, nectantque coronas,
Et *Charites* pulchræ circa cunabula ludant;
Dum nostra, auguriis lætis, oretâque notatos
Natales, celebrat, festivâ voce, *Camœna*,
Mox dictura tuos, calamo majore, triumphos.

Geo. May, Aul. Clar. Alumnus.

Votum pro Nato PRINCIPE.

COntinuant Superi nobis jam Principe nato
Gaudia, successusque novis successibus urgent:
O Lux grata viris ludo celebranda perenni

Quâ datur *Angligenis Cæsar*, Princepsque *Britannis*.
Hanc expectârunt ver tardum, séraque messis,
Nascitur & *Princeps*, pariterque renascitur annus.
Vivas progenies magnorum maxima Regum,
Et fias regno patris, & virtutibus Hæres:
In te mista fluant, in te collecta morentur
Quæcunque efficiunt homines divisa beatos;
Cum tibi commissis ascendat ad æthera terris
Invictus pater; illius producere famam
Sufficiat natus *Cæsar*, te sceptra tenente,
Nil dabit aut sævum rabies, aut turpe libido:
Sed lethum, & cæcus furor, & vesana cupido
Perpetuas extrà terras religata catenis
Persolvent pœnas scelerum, pax alta per omnem
Hanc gentem populos nato sub *Cæsare* viset:
Jam sint arma procul, diras arcebit *Erinnes*
Londino è charo Deus, ac sub *Tartara* mittet;
Tu fias victor quocunque tua arma movebis;
Et tandem regni pertæsus, sede relictâ
Hâc humili, in cœlum redeas majore triumpho:

Campion, Coll. Magd.

In Illustrissimum PRINCIPEM, *festo Sacro-sanctæ Triados, Natum.*

A*Ngliaco* salve Princeps gratissime cœlo,
 Regnorum salve spesque, decusque Trium.

Inci-

GENETHLIACON.

Incipis à festo *Triados*, nec dignior ullus
  Sit tibi Natalis quem tria regna manent.
Sacra sit ista dies, tempusque celebris in omne
  Illius ipse geras nomen, & illa tuum.

Gulielmus Guyon, Coll. Magd. *Commens.*

Χαῖρε Σὺ Ἑσπερίδων κλέος ἄσπετον, ἠδὲ καὶ Ἄρχε,
Παῖ γε βροτῶν σημάρεσι, τοῖς τηλεπόθητι Βρετάννοις;
Καὶ φίλη ἡμετέρου ἄνυσις πόθου ἠδὲ λιταίων,
Χάρμα ἀθέσφατον, ἑοσί τ' ὁμῶς Εὐρωπίδι γαίῃ.
  Ὄλβιος ὃς Σ' ἐφύτευσε, καὶ ὀλβίη ἣ τέκε μήτηρ
Γαστὴρ ἣ Σ' ἐλόχευσε μακαρτάτη, ἔπλεο Πατρὸς
Κληρονόμος κτεάτων καὶ σκήπτρου ἀφθίτου αἰεὶ,
Κληρονόμος τε ἀριζηλός γ' υἱὸς ἀμφήριστος·
Ἀμφότερον μὲν γὰρ ἀρείπυστον τ' ἔλλαχες αἷμα
Πατρὸς ἐτ' ἠγαθέου, διοτρεφέων τε Στυάρτων.
  Πῶς σέο τηλεθάοντος, ἔαρ, πουλύλλιτε τέκνον,
Σὺν Σέο τηλεθάει, καὶ πάντα τέθηλέ γε φύλλα;
Γίγνεται ἄνθεα πάντα ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ,
Καὶ μελιηδέα θυμὸν ὁμῶς λιγόφθογγος ἀηδὼν,
Καὶ τέττιξ μινυρός τ' ὄπα λειριόεσσαν ἵησι,
Μὴ ποτὲ Σύ γε κόρος τερπωλῆς ἀμφὶ γένηται
Ἀλλ' ἀκόρητος ἐνὶ θυμὸς στήθεσσιν ἰάνθη.
  Οὐ Νέμεσις μὲν ἔρειν καὶ μῶμον ὀνείδιον ἐστὶ
Τοιάδ' ἀμφὶ Ἄνακτι, γε τόσσα τ' ἐλέγχεα αἰνῶς,
Κοίρανός ἐστ' ἔρκος κῦδός τε Βρεταννίδος αἴης.
  Δεῦρ' ἄγετ' ἔρδωμεν ἤδη τεληέσσας ἑκατόμβας
Ὄργια πάντα τελῶμεν, ἰδ' ἱερὰ θέσματα πάντα
Ὡς ποτε γάρ τ' Ἰάκωβος Ἄναξ θεῷ εὔχετο ἐσθλῷ.

Κλῦθι

Κλῦθί μευ εὐχομένου, καὶ τὸ κρήηνον ἐέλδωρ,
Τέκνον ἐμοὶ εἶναι βασιλῆ βασιλήϊδος αὐτῆς,
Ὣς ἔφατ᾽· ἐμμαπέως γε θεὸς κεφαλῇ κατένευσε,
Καὶ τοίοις ἐπέεσσι φρένας βασιλῆα προσηύδα.
Εὔχεο δὴ Ἰάκωβε ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ,
Ὥστε γάρ περ σὺ ἀρεστὸς ἦλθες κατὰ πάντων ἠδ᾽ αἶαν,
Νῦν σέο εὐχομένου μάλα κήδομαι ἠδ᾽ ἐλεαίρω,
Παῖδά τί σοι δώσω, μοιρηγενῆ, ὄλβιον υἱόν,
Παῖδα βροτοῖσι φίλον, θεῖόν τ᾽ ἐμοῦ εἶναι ἄγαλμα,
Τέκνον διογενῆ, τέκνων ἀντάξιον ἄλλων,
Ἀλλὰ πρίν γ᾽ ἐπέτυχε, γε σήματα πολλὰ γένοντο·
Πρῶτα φανὲν ἀστρὸν κατ᾽ ἀπήμονα γαῖαν Ἰβέρνων
Ἥρωος σφετέρου βασιλείου ἀγγελιῶτις,
Πατρίδι καὶ μετέπειτ᾽ αἶψ᾽ Καρόλοιο ἄμαξα
Παμφανόωσ᾽ αἰνῶς, περικαλλέες ἀστέρες ἑπτά·
Ἤματι ἐν Τριάδος δ᾽ ἁγίης [θαῦμ᾽ ἔξοχον ἄλλων]
Ἀντίθεον τόκον ἠδὲ τίκε τρεῖς πότνια μήτηρ,
Ταῦτα προάγγελα πάντα γενέθλης ἱμερόεντος
Ταῦτα ἐπεκρήηνα [τὸ καὶ τετελεσμένον ἐστί]
Ἦ θεὸς ἠδ᾽ ἀπέβη· θυμῷ μάλα χαῖρ᾽ Ἰάκωβος.
Χαῖρ᾽ ὦ Παῖ βασιλεῦ, θεῶν μέγα χάρμα καὶ ἀνδρῶν
Καὶ φιλόμουσος ἔοις, καὶ Μουσοπόλοισιν ἀμύντωρ,
Καὶ Καρόλοιν ἀγαθοῖν, καὶ πάππων μνώεο δίων.

Jacobus Henwood, Aulæ Pemb.

EXoptata diu jam tandem Regia proles,
Exornat gremium, Diva MARIA tuum.
Nec miror steriles tibi pertransisse tot annos,
Vulgares partus quilibet annus habet.

Sed

Sed cum nascatur regum divina propago,
Cum sit principibus terra beanda novis,
Insudant Superi, perlongo & temporis actu
Heroa effingunt: hic labor, hoc opus est.

Edw. Lany, A. B. *Aul. Pemb.*

PRæteritos, Regina, tuos memorare dolores
Non juvat, ingeminat gaudia fausta dies.
Salve Lux albo semper signanda lapillo,
Æternùm nobis prospera, lauta dies.
Læta vocant, & læta canam, plena omnia lætis,
Quos non exhilarant, Principis ora novi?
Te canimus, Princeps, canimus te Magne JACOBE;
Proximus ipse deo, proximus ille Tibi.
Vos Ambos laudat Gens *Anglica*, *Cambro-britanna*,
Mutina, de vobis, *Scotia*, *Hibernia* ovat.
Intereà pulchrè (tenerum dum pascit amorem)
In gremio puerum detinet alma parens.
Et, Regina, tuis sobolem dum amplecteris ulnis,
Quàm bene congruitis Tuque, puerque tuus:
En! quàm forma nitens, decor en! quàm fronte serenus,
Dulcis & aspectus quàm tibi, magne puer:
Quámque tibi Mater, *Latiæ* tu gloria gentis,
Angliæ, & *Italiæ* scilicet ille decus:
Credo equidem, nec vana fides, Tu parvus *Iülus*
Omnibns in terris nomine magnus eris,
Nomine Magnus eris, dum Magna *Britannia* gestis
Egregiis major, spero, futura tuis.

Jam

DUCIS CORNUBIÆ

Jam propera ad cunas te Musa voluta salutat,
Olim grandisonans, arma virumque canet.
Quin, Pater Omnipotens, cui visum mittere coelo
Tam *Augustum* puerum servet, ametque diù:
Ut, vitæ spatio famulantia secula vincens,
Seriùs ad Coelum, plenus honore migret.

Joh. Maulyverer, Coll. Magd.
Sen. Soc.

In PRINCIPEM, *Pacatis & Compositis Imperii rebus, Natum.*

MIraris tardos venisse *Britannia* Partus?
Favisse & votis Numina sera tuis?
Dum fremeret populus, tractarent arma Rebelles,
Sacrilegum strueret plebs male-sana nefas;
Speratam frustrà prolem Expectavimus omnes,
Atque è Regali pignora grata toro.
Alcyone haud nidum turbatis ponit in undis,
Sustinet aut tumidi verbera ferre freti.
At simulac solito riserunt cuncta Sereno,
Atque omnes stabili foedere junxit Amor;
Nobilis, hæc inter præsagia, nascitur Infans,
Aucturus Patriæ nomina Clara Domûs.
Sic quando *Augustus* latè pacaverat Orbem,
Et *Jani* solido clauserat ære fores;
Sola hæc Nascentem viderunt secula *Christum*,
Hoc dignum pacis Principe Tempus erat.

Johan. Langham, Aul. Clar. *Commens.*

Gene-

Genethliacon PRINCIPIS.

DIlatum veris tempus stupuere *Britanni*
  Tam nimio *Boreas* turbine strinxit agros:
Æolus en! clauso Zephyrum compressit in antro,
  Et florum lætas haud dedit hortus opes:
Germina tardârunt lauri: quæ causa? quòd ortûs
  Optârunt, Princeps, condecorare tuos.

Jo. Jackson, Coll. Magd.

In PRINCIPEM *Natum Solstitio Æstivo & Festo Sanctæ Trinitatis.*

QUàm benè felices *Phœbus* nunc visitat *Anglos*,
  Ante alia extollens Principis ora novi?
Occidit Invitus, reliquas jam negligit oras;
  Regia nam tantùm Patris Imago placet.
Ni Festinaret cum Prole redire secunda,
  Passu æquos plures fecerit ire dies.

Vive diu felix, *Trino-uni* maxima cura
  Cujus sub festo nasceris, esto *Deo*.
Defendas sacri Mysteria sacra Diei,
  Et quæ tradiderint cuncta per æva *Patres*.

DUCIS CORNUBIÆ

Cœlo sis semper gratissimus, utilis orbi,
Nec citiùs nostro crimine raptus, abi:
Sint nobis Alii de tanto utroque Parente,
Absque novâ infelix Prole nec Annus eat.

Clemens Boult, A. M. *Coll. Gonv. & Caii*, Soc.

In Natalem PRINCIPIS.

HAud dignas, queritur se tota *Britannia*, grates
Cœlo pro meritis posse referre suis:
En! cape parva quidem, nostrûm tamen optima vota;
Namque minor nostris gratia summa bonis.
Anglia Cœlestem jam sentit clara favorem,
Floret enim nostro certa sub axe salus:
Et precor ut vigeat, post ultima fata parentis,
Aurei ubi scepteri dextera sentit onus.
Intereunt reges, subeant ut sydera cœlo,
Eximii plures hoc vel in orbe duces.
Excipiet gaudente polo, *Rex maxime*, cœli
Regia te, postquàm serus ad astra redis
Filius, unde potes, statuat quæ jura, monere;
Possit & admonitu fortior esse tuo.
Mens generosa atavis sit non aliena vetustis;
Testentur Patriæ se sua facta patrem.
Quantus erit factis, post tantus in æthere vivet,
Et prælucebit stella benigna suis.

Mag-

Magna bono laus est in Principe linquere genti
  Hæredem regni, post sua fata bonum.

Tho. Cotton, Trin. Coll.

DAmnata est tandem *Diis* chara *Britannia* voti,
  Audivere pias Numina amica preces,
Audivere preces toties lassata, suosque
  Optata auxerunt prole, JACOBE, lares.
Principe nos, dicamne, futuro an Rege, bearunt?
  Sunt donis, *Cœlum*, verba minora tuis.
Deficiunt nobis grates referentibus ipsæ
  Pierides; manus carmine majus adest.
Sed Superos, tanto ne sis indigna favore,
  Quo poteris penses, *Anglia* grata, modo;
Votaque suscipias pro nato Principe, gratûm
  Sunt vice apud faciles talia vota *Deos*.
Huic, *Parcæ*, Patris heu! properi dum tardius anni
  Excurrant, celeri, ducite fila manu.
Ut citus *Edvardos* post, *Henricosque* relinquat,
  Plantagenas superet, *Tudoridasque* puer.
Erudiant Juvenem *Carolorum* exempla, sequaces
  Erga Hominem Hic mores instruat, Ille Deum.
Sit similis bello, similis pietate JACOBO:
  Vota ultra non quo progrediantur habent.
Hoc si concedant Superi, non plura lacessam
  Æthera, plura quidem vix habet unde daret.

Edw. Barhurst, A.M. Trin. Coll. *Soc.*

Ad REGEM.

DArdanius *Priamus* numerosâ prole beatus,
Invideat soboli *Dive* Jacobe tuæ:
Ille etenim natos crudeli cæde peremptos,
Eversam *Trojam* vidit & ille suam:
Tu, natum ex quo fas est regna resurgere *Trojæ*,
Majorem antiquâ conspicis atque novam.

Joh. Exton, Aul. Trin. *Commens.*

REgius ut primis cœlum vagitibus *Infans*
Hausit, fama volat pennato concita lapsu,
Aulamque, attonitamque Urbem, rumore secundo,
Lætitia undanti, & faustis concentibus implet.
Ordo, ætas, sexusque omnis, per compita passim
Plebsque habitans diversa locis, sua gaudia sensusque
Occultos animi; præsagâ mente recludit.
Prodiga Votorum, gratatur *Principis* Ortus,
Et spem surgentem; fremitu testatur amorem
Insolito, & recto bona dicunt omina vultu,
Quem non ambitio, non spes simulare coegit,
Non metus & licet una *Deum* pars, altera *Divos*
Sollicitat quos Roma *facit*, tamen omnibus una
Vox supplex, neque enim vota in contraria vulgus
Scinditur, at *Puero* vitæ ut spacia ampla supersint,
Et longo ire jubent mansuros stamine fusos.

 Grex

Grex pius imprimis, cujus non ulla feruntur
Dogmata quæ Imperii Sanctissima jura lacessant,
Vel consulta Patrum; aut nata apta revellere leges.
Pristina cui pietas, nullo & non tempore Regi
Explorata fides corda exultantia pulsans,
Suspicere has subigit demisso pectore Cunas.
Salve, ait, ô Princeps, magnis ô edita salve
Progenies atavis. Ferit aurea sydera clamor,
Fundentumque preces, onerantumque æthera Votis.

Concentum similem, & communia gaudia terris
Cœlum agitat; patrio Heroes lætantur Olympo,
Carolus ante omnes, meritus cognomina Sancti
Martyris, Indigetum longè sanctissimus, *Agni*
Albentemque stolam qui lavit sanguine puro,
Aureola & cujus circundat tempora fulgens.
Cui Themis æternos templis indixit honores,
Quem pietas primæva, fidesque incana patronum
Vendicat, & sacris signavit nomina fastis.
Desuper è cœlo generis præsentia cernens
Incrementa sui, redivivum sentit in illo
Se puero, & famam, & nascentia fata Nepotis,
Et decora alta olim, sec'lis memoranda futuris,
Jam recolit; Quæque & referent quandoque minores.
Hisque super monitis animos, atque ora resolvit.
Cresce puer, dudum populis optantibus orte,
Cresce meus sanguis, gens *Angla* fidelibus icta
Jam desideriis, meliora in tempora gestit
Affore quem sceptris hæredem, & vota precantum
Nunquam aliàs sincera magis, magis anxia nunquam.
Interea matura Virum dum fecerit ætas,
Præclari monitus *Atavi,* quos REGIA DONA

In-

Inſcripſit; quin ſancta animo præcepta recurſent,
Quæ mea non fallax olim dictabit IMAGO
REGIA. Neque tu hæc ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quàm ſint, contempta relinquas.
Hinc diſcas, ſuperis virtus quæ proxima Reges
Conciliat populis, & colla ferocia ſubdit.
Sic regere imperio faciles, ſic libera colla
Civili mulcere jugo, ſic flectere mentes,
Inque animos dare jura licet; clementia tutum
Te magis excubiis, rigidove ſatellite præſtet.
Ut vites, caveaſque dolos, & prava tuorum
Conſilia, & tandem populo ne fabula fias:
Diſce etiam quam ſit tetrum exitialeque virus
Lingua aſſentatrix, menti conjuncta doloſæ;
Et ſoror huic, quantas damnoſa *Calumnia* noxas
Regibus inſpiret; nec delatoribus aures
Præbeto, falſiſve ſinas ſuccumbere quemquam
Teſtibus appoſitis, vel Judice non ſatis æquo,
Seu vi, ſive dolo, ſeu ficto crimine preſſum.
Obſerves promiſſa, fidemque immobilis, olim
Nec populi de te ſpem callidus arte Pelaſgâ,
Vocibus ambiguiſve eludas; vincula legum
Vel ſolvas unquam, tibi quæ circumdabis ipſe,
Cœleſti cum ſtabis ad aras unctus olivo.
At ſperato *Deum* memorem fandi, atque nefandi.
Nec tam fortis ames dici, quam juſtus haberi.
Hæc tibi materies laudum; defendere fines
Hoſtibus externis, populumque ut juſſa capeſſat,
Legibus exemploque trahas; ſic læta reduces
Paciferi JACOBI & bellatricis *Eliſæ*
Secula, regnandos ſi quando acceperis Anglos.
Tuta per antiquum pones veſtigia callem,

Quem-

Quemque avus, & proavi auspiciis melioribus orti,
Ingressi, subiere polos. Sic pluribus aucta
Præsidiis Regum series Augusta perennet,
Et soboles generosa meos rectura *Britannos*!
Qui fratres sibi consimiles, volventibus annis,
Et nostrâ innumeros optent de stirpe nepotes,
Sæpius & te prole novâ JACOBE parentem,
Teque Patrem Patriæ, MARIA genetrice, salutent:
Nec dubitent fore se tandem, Te *Principe*, salvos;
Te *Duce* Victores; Te tali *Rege*, Beatos.
Annuat his *Deus*, ô, votis damnetque precantes!

Talibus orantem *Carolum* chorus excipit omnis
Semideûm, firmatque *Beati Martyris* orsa
Fatidica, ingenti & sancit præsagia plausu.

Jo. Laughton, A. M. *Coll. Trin.*

EN (Io!) centum potior Triumphis
Nascitur Princeps, facilisque tandem
Cœlitùs misso tria regna dono
Parca beavit.
En, Io! læti ingeminant *Britanni*,
Cambriæ montes, resonantque valles,
Juncta concordi reboatque plausu
Pinguis Ierna.
Consonis votis Populus, Patresque,
Tota gens *Divos* precibus fatigat,
O diu vivat, validusque crescat
Regius Infans:

Pii-

Diique queîs nostræ placuêre gentes,
Omnium herbarumque potens *Apollo*
Protege infantem, rabidasque pestes
Sedulus arce.

Tuque *Dictæo Deus* alte monte,
Cui tui semper placuêre reges,
Parvulum in cunis tege vagientem
Astyanacta:

Ille maturus solium capessat,
Ille vel magnum superet Parentem,
Sive *Mars* sævus, placidæ vocantve
Munera Pacis.

J. Hayley, Coll. Regal. *Alumnus.*

QUid jam videri lætior Insula
Sic o: e fœlix ridet amabili?
Cur & renidet nunc, ut antè,
Cùm meritæ bonus arrogaret
Sacram tiaram de solio micans
Fronti JACOBUS? nascere, nascere
Britanne Princeps, ô dature
Jura tribus metuenda regnis.
Cui jam merenti tergeminos dedit
Augusta plausus: cui *Thamesis* pater
Undis ut exultavit, ictæ
Lætitiâ fremuere ripæ.
Ac læta rursus jam Duce *Cambrica*
Tellus recenti, gramen & è jugis

Et

Et copiosas de malignis
Fudit agris opulenta fruges.
Arrisit almo nec minùs algidam
Obversa ad Arctum *Scotia* gaudio,
Jam visa primùm recreari
Temperie melioris auræ.
Inter Poëtas carmine quo pius
Jam rite donem te, puer, imperî
Spes una? vivas ô tuoque
A Patre sis animosus infans.
Favore cœli, quo bene crederis
Hausisse vitæ lumina, si brevis
Non vota fallas nostra, & ô si
Sub laribus vigeas Jacobi
Nutritus almis: denique, si Patrem,
Ut crescit ætas, terribilem exprimas
Virtute & armis, qui feroces
Egregius juvenisque & exul
Vexabat hostes, nec vice simplici
Infecit æquor sanguine *Belgico*:
Si tals exemplum parentis
De tenero mediteris ungui,
Quam faustitatem, *Principe* quod decus
Non speret à te nobilis *Albion*?
Quæ non tuam demum sequetur
Laurea præripienda dextram?
Magnæ Jacobum, res etiam novæ,
Quas versat alti pondere consilî,
Curæque civiles morantur
Non humiles iterare factis
Palmas volentem: qui rate bellicâ
Nunc sternit æquor, te, puer, ilicet

Naſcente, quod non eſſe vanum
Nec ſine Dîs videatur omen.
Nam ſi JACOBI claſſis ahenea
Non Marte *Belgas* proterat altero,
Tu deinde franges jam ſuperbos
Et ſalibus *Batavis* procaces.
Tibi triumphos jam ſenior *Pater*
Permittat: armis tu bene *Galliæ*
(Timete *Galli*) non inanis
Jus proprium revocabis hæres.
Quas inde lauros *Gloria* deſtinet
Fronti coronam, dicere neſcio:
At credo, ſi vivas ſuperſtes,
Hæc dominas ceciniſſe Parcas.

Johan. Gardner, Trin. Coll. *Alumn.*

NAſcitur, ô magnis tandem exaudita precantûm,
Vota *Diis*, nobis mirandus naſcitur Infans!
Omnis Io reſonet Superûm domus, omnis honores
Ara ferat, nullæque vacent lætantibus Ædes.
Si quando poſt nudam hyemem, poſt frigus iniquum
Gratamur *Phœbi* radios ſurgentis amænos;
Si tenebris emergentes miramur opacis
Lunamque aſtrorumque ignes: Quæ gaudia longum
Poſt deſiderium, poſt alta oblivia tanti
Nominis, hic agitet mirandi *Principis* ortus?

Salve *Magne puer*, proles *Augusta*, beata
Magnorum ſoboles Regum, genitureque Reges;

En

GENETHLIACON.

En tua nutricis circum cunabula *Diva*
Prosperiora ferunt felicis nuntia vitæ.
Non creber Matris vagitus contigit aures,
Conditio infantûm misera! at matura refulget
Spes risu, inque ipsis minitaris grandia cunis;
Pollicitusque Ducem est celsi nitor igneus oris.
Non te magna domus *Phariis* operosa columnis,
Non te adeò illecebris capiet jucunda voluptas,
Ut vitam positis degas inglorius armis.
Gallia te manet & tellus vincenda, superbæ
Et *Batavûm* classes; olim Duce Patre fugatæ
Submersæque Mari: tua sed majora Tropœa
Jactabit majusque decus maturior Ætas.

Nath. Coddington, A.B. *Coll. Regal.* Soc.

Genethliacon Auspicatissimi PRINCIPIS.

PHæbum in reductis fata ego rupibus
Vidi canentem, & plenius arduæ
Vim mentis, & *parvi* sonantem
Cæsaris egregios triumphos:
Nil hic supino mollis in otio
Deperdet ævi, gestiet asperum
Tractare ferrum, vel comantûm
Terribilem galearum honorem.
Nimirum avitæ stemmata gloriæ,
Patrisque virtus æmula adoreæ

Urgent; triumphaliſque laurûs
Raptat amor per acuta belli.
Pæana jam nunc concinat *Anglia*
Rerum ſtatori; jam video fugam
Regeſque captivos Ducumque
Arma tholis crepitare noſtris.
Nec *Martis* inter munera tetrici
Ponet Sereni pectoris indolem,
Mentiſve tranquillam benignæ
Temperiem, niveoſve mores.
Quin nec querelis illacrymabilis
Avertet aurem; nec nimiùm pius
Promiſſa fallet, vel doloſo
Verba volet decorare ſuco.

Heroa talem numen amicius
Indulſit *Anglis*, quo *Itala* lenitas,
Infracta virtus & JACOBI
Ecedere tam coeunt amico.
Serò beatis maxime Principum
Eruare Divis, & redimas moram
Tardumque Natalem, & benigno
Numine proſpicias *Britannis*!

Gregory Parry, Coll. Regal. *Alumn.*

Ad

GENETHLIACON.

Ad REGEM & REGINAM *de* PRINCIPE *Nato.*

REgnat in humanis divina potentia rebus;
Hinc veniunt fasces, hinc tribuuntur opes:
Hinc oritur Princeps, nova spes nascentis *Iüli*
Oh! videat longos, & sine nube, dies:
Felices ambo, magni salvete Parentes
Prole JACOBE tuâ, tuque MARIA tuâ.
Fama procul positi miratrix orbis, & Ævi
Præteriti, huc niveis (nec mora) fertur equis,
Regalem ut videat Prolem; miratur, & orbi
Nunciat attonito, nunciat illa Polo;
Conferat huc Regum non aspernanda priorum
Munera, & excelsum conferat illa decus;
Et data venturi monumenta nepotibus ævi,
Signaque virtutis non violanda rogis.
Salve Magne Puer, decus immortale Parentum,
Gloria læta domi, Gloria læta foris;
Dulce decus nobis; iterum salvete Parentes,
Et voto faveat major utrisque Deus.

Gulielmus Offley, A. M. *Coll. Regal.* Soc.
R.P.D. *Thomæ* Episcopo *Lincolniensi* à Sacris.

OPtatum paritura Ducem Regina *Britannis*,
Cum jam *Lucinæ* voce petebat opem,

Exce-

Excepit gremio puerum Cytherea cadentem ;
   Atque sibi similem cernere gaudet Amor :
Tum faciles fingens vultus, pectusque, manusque,
   Atque oculis ignem dans, radiosque suos.
Sic ait : Ah ! teneris suspiria quanta puellis,
   Quales insidias nunc Ego sæva paro !
Namque tuo genitor quando renovabitur ore,
   Atque tibi roseas jam teget umbra genas ;
Seu jaculo venator ages veloce Leonem,
   Sive tuâ Tygris cuspide læsa cadet ;
Quæ, te, cunque vident, *Dryadas* nova flamma peruret ;
   Nec jam gratus erit Virginitatis honos.
Lugebit *Diana* choros mirata minores,
   Nec tandem sociis tela placere suis.
Seu bellare p[illegible]ns, & vectus classe paternâ,
   Toto ingens *Batavos* æquore victor ages :
Nereidas gelidis, Te viso, sævus in undis
   Uret amor ; cunctis par tuus ignis aquis.
Mortalem rursus *Thetis* optat habere maritum ;
   Nec fuit Æmonio gratia tanta viro.
Forsan & ipsa tuis succendat pectora flammis,
   (Pectora succendi sunt nimis apta mihi.
Suntque pares thalami ; neque enim *Mars* fortior armis,
   Nec fuit *Anchises* pulchrior ore Meus.
Tu socerum dignêre *Jovem*, & gener additus astris,
   Jungas cognato Regna *Britanna* Polo.

E. Keene, Coll. Div. Joh.

In

GENETHLIACON.

In Sereniſſimum PRINCIPEM recèns Natum.

NAm quis beatiores *Hymenæos* vidit ?
Aut quis beatos æquè amantes conſpexit ?
Quibus tam charo numinum faventium
Pignore cautum eſt, felices ituros dies.

At Magne *Genitor* quam tibi placet unicus,
Et jam tandem in ſeram parentum lætitiam
Natus, non abſque numine animoſus puer !
Quam gaudet Mater! quæ quùm infelici partû
Vexata ſæpiùs viſa eſt fatiſcere,
Fit multùm fertilis nati unius Mater,
Dilecti, amati quantum amabitur nullus.

Salvere Princeps te totus jubet populus,
Te pater, orbis totus: nos gratulabundi
Gaudemus non ultrà hoc dilatum gaudium.

Nam ſic decebat te parentem patriæ
Nomen genuſque propagare in ſecula
Futura, huc uſque in uno ſpes poſita noſtra eſt;
Jam ſempiterni condis initium imperii.

Tenebit ille regna ſed ſerò, tua,
In quem natura definxit mores patrios,
Et omnibus dedit bonis excellere:
Quodcunque non uno abſolvendum ſeculo

Mag-

DUCIS CORNUBIÆ

Magnum inchoaverit *Jacobus Maximus*
Perficiet *Princeps*, & beabit posteros,
Suis amandus, & timendus hostibus.

Mich. Mills, Coll. Regal. *Soc.* A. B.

In natalitia PRINCIPIS.

SUrgite *Sicelides Musæ, Charitesque* benignæ,
Dulcia *Pierides* edite metra sonis.
Exultent omnes, Regalis nascitur infans;
Una bonum Regnis attulit hora tribus.
Majus non poterant Superi concedere donum,
Vix poterant miseri par petiisse viri.
Hoc Pater omnipotens, sacer hoc quoque spiritus urget,
Filius exoptat, compar uterque Patri.
Anglia lætatur, *Scotia*, atque triumphat *Ierne*;
Tres nectit gentes unio trina precum,
Audiat Omnipotens, votis respondeat æquis,
Et dent *Nestoreos* fata benigna dies.

Johan. Basset, A. M. *Aul. Pemb.* Soc.

CErnere quem peperit prægnans tam regia conjux
A magno genitum *Cæsare*, crede juvat.

Quòd

Quòd si fortè aliquid faciat nunc ora videri
  Læta minùs, felix curia parce rogo.
Hîc mihi nostrorum mira incunabula regum
  Cernenti *Carolos* commeminisse datur.
Nam fuit illorum crescens quoque gloria; & illis,
  Contigit in cunis dulcis & alma quies.
Dî dent nascenti puero magè tempora læta,
  Quàm dederint vel *Avo* tempora vel *Patruo.*

S. S. Coll. Regal. *Socius.*

NAscere, Magne Puer, Soboles, & Cura Deorum,
  Spes Hominum, & Terror, Nascere, Magne Puer.
Te Nascente, fluunt lætis meliora *Britannis*
  Tempora, & incipiunt suaviùs ire dies:
A Patribus Natisque, Puer, celebrabere, sec'li
  Præsentis Decus es, Posterioris eris.
Te Nascente, Omnes Communia gaudia miscent,
  Nec variæ avertit Relligionis Amor.
Tu seriem renoves ventura in secula Regum,
  Et, nisi per natos, non videare senex.
Sic, cum Te Superi numerosâ prole beârint,
  Saltem aliquâ in terris Parte superstes eris.

R. Byns, A. M. *Trin. Coll.* Soc.

In Natalitia Ducis Cornubiæ.

AUdiit æquoreis viridis *Neptunus* in undis
  Aucta *Stuartiaci* pignora sacra tori.
Audiit, & capitis muscosi arrectus honores,
  Affatur vitreos lubricus ore deos.
O Vos, qui mecum dextrâ, lævâque frequentes
  Incolitis vasti regna profunda maris;
Caroloden nostis genus alto à sanguine *Divûm*,
  Illum, quadrifidis cui famulamur aquis.
Ille deus fecit nobis hæc otia, spernens
  Imponi tergo *Belgica* vinc'la meo;
Meque, volens domino potiùs servire *Monarchæ*,
  Firmavit fasces, & stabilivit aquas;
Ille memor nostri, nusquam oblitusque suorum,
  Nobis, hisque plagis, quod benè cedet, agit.
Natum progenuit, qui, si rectè auguror, idem est,
  Quem fratris libri non tacuere *Jovis*!
Credite, tempus erit, vos & spectabitis illum,
  Nereides, cum jam crescet in arma puer,
Has inter sævire undas bella, horrida bella,
  Insolitâque meas strage rubere domos:
Tunc plusquam quatuor marium puer auctior ibit,
  Agnoscetque suum *Belga* protervus herum.
Aspera tum positis mitescent æquora bellis,
  Ille dabit pacem, qui tulit arma prior;
Ampliùs haud *Aquilo* nostris dominabitur undis,
  Nec metuet rigidos pulsa Carina notos.

Dixe-

Dixerat, & Procerum fremuere palatia plausu,
Murmura lætitiæ personuere locum.

Joannes King, Coll. Regin. *Commens.*

DElicizæ Humani Generis, spes Magna Tuorum,
A Te quam pendet Nostra futura salus!
Perpetuis niteant rediviva Altaria flammis,
Lætitiæ quid non Parvus *Iülus* habet!
Anglis restituet vires, & Gentis *Ibera*
Converso *Martis* cardine, stator erit.
Virgineum ut vultu Miles depingit *Achillem!*
Ludit ut in facie *Pallade* mixta *Venus!*
Mars cedat Pugnante Illo, Ludente *Cupido*,
Dum sua uterque putant Tela decere Ducem.
Concilio & Campo Par *Martis* Alumnus, & Artis,
Illa manus gladium stringat, & illa Librum.
Patrem armis referat, *Carolo* sit plenus utroque,
Quis Nostro è Superis *Cæsare* Major erit?

Zacharias Wells, A. B. *Coll. Regal.* Soc.

In Ducis CORNUBII *Nativitatem.*
ODE.

CUnis odorem misceat, *Indicis*
Quod fragrat hortis, quicquid *Aromatum*

DVCIS CORNVBIÆ

Phœnix Rogo condis superbo,
Ad tepidum moriture solem.
Quod munus unquam Convenientius
Offerre possum ? nominis Inclyti
Sic fama per seros Nepotes,
Perpetuo redolebit ævo.
Non Thura flammis jecimus irrita,
Nec tam frequentes perdidimus preces,
Concessit Almum numen, atque
Immodicè superat Rogantes.
Crescas, *Deorum* munus, & Imperî
Hæres paterni ; cur pueritia
Secura regni est. Surge tandem,
In Patriasque Adolesce curas.

Lancelotus Manning, Trin. Coll.

TAndem consuluit casto *Deus* æquus amori,
Nec *Lucina tulit*, sed *Dea* major, opem ;
Numenque est *Puero* custos Augustius Illis,
Quæ finxit natis *Roma* profana suis :
Nunquam Illa obtulerit Tantum Diis munus; & æquum est,
Si sit majus onus, major & esto *Deus*.

Tho. Dillingham, A. M. *Aul. Clar.* Soc.

Reddi-

GENETHLIACON.

REddite, Io peperit! jamdudum reddite Vota:
ANGLIA quas misit jam valuere Preces.
Gaudet inexpletùm Diis chara Puerpera; Gentes
Tot quàm suave animo LAURA beâsse tuo!
Heroum salve Genitrix, faustissima Sacro
Tu *Britonum* æternas Sanguine reddis opes.
Vos *Mutinæ* salvete arces: Salve *Itala* tellus,
Fatalis nostro Mater amica solo:
Debemus *Brutumque* tibi, cæsosque Gigantes,
Atque renata sacræ culmina *Dardaniæ*,
Nunc iterum longo pòst tempore respicis Auctori,
Donatâque genus Prole tuum renovas.
Imple Fama ruens dolituras nuncia gentes,
Hæc sperare ausas subdita Sceptra suis:
Dementes; noster certe non ista JACOBUS
Spondet, non Regum celsa MARIA Parens.
Cresce Puer; Proprium sis Donum: haud amplius oro.
Nam per Te summus, Talibus ortus, eris.

S. Weston, A. B. *Coll. Regal.* Soc.

Ecloga in nativitatem Serenissimi PRINCIPIS, *nati, quarto Id.* Junii.

Mnasylus, Coridon, Morson.

Mnas. UNde venis *Corydon*? *C.* vicini montis ab umbrâ,
Mnasyle, augustam qui totam prospicit urbem.

Quo

Quo fœcunda greges repererunt pascua nostri.
Mnas. Scisne igitur quæ læta sonat convallibus Echo?
Namq; ex urbe venit, quæcunque est causa, vel ipsi
Gaudia percipiunt lascivis saltibus agni.
Coryd. Ipse etiam sensi, solitoque diutius herbâ
Consedi, ut melius caperem resonabile murmur,
Attentus, cupidusque novas cognoscere causas.
Præteriens dixit nobis cum fortè Viator,
Plaudite pastores, Regalis nascitur infans,
Viribus & formâ victus cui cedet *Apollo.*
Solamen Patris, Patriæ spes sola jacentis.
Mnas. Unica forma sibi tantos si poscat honores,
Majori est dignus *Thyrsis.* Vicinia nullum,
Ipse scias, formæ majoris jactet alumnum.
Coryd. Stultule quid jactas? contendit vespa cicadis,
Cum cycnis bubo. Quanto viburna cupressi
Exsuperant, quantoq; hædo est præstantior agnus.
Tanto omnes nostros hic vincit Regius infans.
Mnas. [Heus procul hâc quercû fuge *Conare* tuq; *Cynætha*,
Pascite, ubi lentæ salices, humilesque myricæ.]
Coryd. An non, quem video, est *Morson?* primordia mundi,
Et rerum causas, Regumque ingentia facta,
Astraque cantando quo non præstantior alter?
Mnas. Ipse senex. Pueri nobis ab origine laudes,
Nunc repetet, summumq; genus, formamq; decoram,
Et quæ promittunt de Principe sidera, dicet.
Mens adeo est illi facilis, cunctisque benigna.
Coryd. Ad tumulum hunc consi de senex, hîc dulcis aquarum
Fit sonus, & gratis totus conspergitur herbis,
Et modò nascentis pueri dic ordine fatum.
Mors. Gratulor Augusto, & nostro congratulor orbi,
Et mihi, quòd longæ mansit pars ultima vitæ

Tem-

GENETHLIACON.

Tempus ad hoc, prolem quo formosissima mater
Formosam peperit, Regnique Patrisque levamen.
Macte puer virtute novâ, summisque tuorum,
Addere si sit fas, atavorum laudibus addas.
Exoptate puer, nunc rursus nascitur ordo
Magnus ab integro Heroum: longissima Regum
Procedit seriesque iterum, quæ extincta fuisset
Ni Superi dederant Te, felicissime Princeps.
Tuque adeo, gravibus depressa *Britannia* curis,
Exere læta caput, totos depone timores.
Jam tibi promittunt æternam sidera pacem.
Alter erit *Saturnus*, erunt atque altera sec'la
Aurea, concordes conjunget Gratia plebis
Una eademque animos; tantos divisa tumultus
Relligio haud dabit, & stabunt hoc judice leges.
Pascet ovis secura lupi custode remoto.
Insidiæque dolusque ad *Tartara* prisca redibunt.
Non reget ille metu solo devincet amore.
Ipsi, felices jam serâ prole Parentes
Magnas extendêre suas ad sidera laudes.
Audeat ipsi etiam Veneri contendere Mater,
Magnanimumque Patrem sibi Mavors ipse fatetur
Æqualem, trepidas admiraturque furentem
Per turmas. Tamen ingentes utcunque parentes
Natus major erit. Pater atque admissus Olympo
Ridebit puerum cœlos ingentibus ausis
Affectantem, animo miti populosque regentem.
Nunc equidem lætamur, sed quæ gaudia regno
Cum primâ malas lanugine texerit ætas!
In thalamos ibit tanto quæ digna marito!
Quænam tot Divis veniet nurus, omnibus arvis,
Et toto dotanda mari, cui serviet Indus?

Vivat

Mnas. Vivat, Io! vivat. Pro quo cum prole *Cynatha*
Cras cadet, ipsius duo siccant ubera nati.
Coryd. Agnos ipse etiam binos dabo, si meus esset,
Vel totus grex in festos succederet ignes.

Guliel. Rosewell, Coll. Regal. *Alumn.*

REgia progenies, & non indebita cœlo,
O salve Princeps, nec minùs ipse Puer!
Te multis precibus, te votis omnibus emit,
Intulit & cœlo vim pietate Pater.
Jamque memor solvit tanto pro pignore grates,
Pro nondum nato quas pius ante dedit.
Sed nec relligio valuit tua sola, JACOBE;
Audiit & populi publica vota Deus.
Quid jam, quid magnum voveam tibi dulcis Alumne?
Te sera ad superos evehat hora polos.
Et tandem Imperium Patriâ virtute gubernes,
Quo vocet, ut te jus, sic quoque Gentis amor.
De Patris ore tona, sed ride Matris ab ore;
Et fronti insideant *Marsque Venusque* tuæ.
Terrebis visu sic formidabilis hostem,
Sic bonus & fœlix conspiciere tuis.

Cecil. Cooper, Trin. Coll. *Commens.*

Salve

GENETHLIACON.

SAlve Ingens Regina atavis, Vatumque Ducumque
Antiquus sanguis, *Romana* gloria Gentis.
Salve inter teneras nuper pulcherrima Nymphas,
Salve Heroum inter nunc felicissima matres.
Hactenùs ah! nimiùm de Te Magnoque Marito
Immiti licuit Fato; thalamique Jugalis
Nequicquam fœcundus honos; soloque dolore
Facta parens, noras tantùm quàm sæpe labantes,
Quámque ægrè extremis avulsæ amplexibus, igni
Commendant miseræ Natorum funera matres.
At nunc solve metus; nullas Fortuna parare
Insidias voluit, nec si velit improba, possit.
Namque uno pensent Dono sua crimina Parcæ
Vult Deus, & sobolis numerum Virtute rependet.
At Tu, magne Puer, felici gaudia Patri
Quanta dabis! totis quàm faustus nasceris *Anglis*!
Namque ubi te firmata virum jam fecerit ætas
Munia quanta subis! tota inclinata recumbet
In te Militiæ moles, residesque *Britannos*
Arma manu tractare diù desueta jubebis.
O surgat vates aliquis, qui facta canendo
Æquiparet, versuque queat superare *Maronem*.
Hic canet ingentes terrâque marique paratus
Anglorum, magnisque latens sub classibus æquor:
Stant contra *Batavorum* acies, ingrataque dextris
Tela tenent, fatisque incensi pectora iniquis,
Non tua contractis venerantur carbasa velis.
Et jam pugna furit; tormentorumque fragore
Attoniti Superi, nequeunt audire virorum
Aut vota aut lamenta; rubet mare sanguine circum.
Sæviit incertus medio in certamine *Mavors*,

Nec nôrant, queîs fata favent, dum Puppe paternâ
Invectus pugnæ, Ventis Divisque secundis,
Asseris imperium Oceani; sævusque videri,
Sanguineumque rotans mucronem fulmina torques
Desuper: omne illo terrore hostile paludes
Nativos repetit remis fugientibus agmen.
Nec satis hîc tuta, & magnis terroribus acta,
Imponet laceris sese gens tota carinis,
Orbe alio patriam quærens: hæc digna dolosos
Fata manent *Batavos*; neque enim usque impunè licebit
Irritare Deos, magnisque illudere regnis;
Sed novus *Amboinii* exurget Manibus Ultor.
Mox bellantem iterum, & pulchro sudore madentem
Et tua devictis repetentem lilia *Gallis*
Te canet Ille Idem; casusque revolvit Avitos
Francia: Pictavi renovatur gloria campi.
Quinetiam & sceptris adjectam *Cypron* avitis
Proximus est memorare labor; *Venus* Aurea terras
Gaudet læta suas, iterum sub rege teneri
Brutigenâ, *Martique* suo Tua numina præfert.
Verum ubi post multos non unâ ex gente triumphos,
Devictis Populis pacem legesque dedisti.
Quos videas tunc ire dies! erit una per orbem
Religio, nec cura novos inducere cultus.
Nec Patres sacris fratresque furoribus actos,
Amplius in cædes coget Phanaticus error.
Sed Pietas, & vera Fides, Superisque remissa
Justitia, æternumque colet Concordia terras.
Ipse sedens solio Senior, cum Patre Jacobo,
Jura dabis; turpis centenos saucia vultus
Hæresis, innumerasque manus post terga revincta
Sæviet incassùm, stygiis detrusa tenebris.

In-

GENETHLIACON.

Intereà, Venerande Puer, nova Gaudia matris,
Quem modo naſcentem toto felicia Cœlo
Sydera reſpexêre: bono regnata per orbem
Saturno quondam nobis qui ſecula condes;
O poteram ſi forte tuas accedere cunas
Et præſens venerari, & quam tibi Muſa paravit
Ex hederâ lauroque tuâ, donare coronam;
Munera parva, tamen venturis apta triumphis!
Tunc ego vix (jam penè pari dignatus honore)
Invideam ſenibus, qui ductu ſyderis almi
Orbe alio venêre olim, natumque recenter
Excepêre Deum donis, & Eoa cremantes
Munera, odoratis læti venerantur Acerris.

Nich. Bold, in Aulâ B. Trin. Juris
Civ. Studioſus.

De Nato PRINCIPE.

QUantùm, jactatus fulgentem navita ſtellam
Proſpiciens, gaudet, quia tempeſtate peractâ,
Securus dormire poteſt, ventiſque ſecundis
Pacatoque Mari tutus committere puppim:
Tantùm exultantes illuſtris Principis ortum
Proſpicimus, de quo nil non ſperare licebit.
Inſtar veris enim renovavit cuncta nitenti
Pectora lætitiâ, vel præſentire videtur
Mens Mea, quantus amor patriæ qualiſque futurus

Sit Rector Quantum decus & quæ gloria genti
Nostræ! Quid non ipse potest promittere, cujus
Excipiunt omnes tanto natalia plausu?

Gul. Prestley, Aul. Cath. *Commens.*

Ad Illustrem CORNUBIÆ *Ducem.*

REgibus innumeris es patribus ortus, & ipse
Sis pater à te ortis regibus innumeris.
Anglia florebit, gaudebit terra *Britannûm*,
Si Patri similis sceptra tenere scias.
Expectare licet nobis nil præter amorem,
Cùm Pater est *Mavors*, quis, nisi, natus amor?

Gulielmus Clarke, Trin. Coll.

TE Deam certe colimus, Tuique
Numinis semper memores canemus,
Nascitur proles celebranda, Te, *Lu-
cina*, favente.
Regios *Angli* venerantur ortus,
Regiam agnoscunt Sobolem, Precesque,
Et metus longos, Triplicisque Spes &
Gaudia regni.

Quàm

GENETHLIACON.

Quàm Puer Matris gremio reclinis
Hæret in molli, Faciemque spectans
Lucidam, parcens lachrymis, relictis
Vix dolet astris!

Suspicit Matris rutilos ocellos,
Nescius Consanguineos, stupetque
Vagiens Infans, tamen intuetur,
Ipse stupendus.

Dum juvat Matrem digito tenellis
Artubus formam dare; & hæc micantes
Luminum mirans acies, novam se
Spectat in illis.

Dii date, ut Mater pariterque Natus
Invicem sese exhilarent, ut, Illi
Quæ ferant nobis, facilis rependat
Jupiter Illis.

Gilbert, Coll. Christ. *Alumn.*

CIngite fronde comas, & nunc gens tota triumphet.
Editur Illustris Princeps spes magna *Britannis*,
Chara Deûm soboles, magni Patris incrementum.
O felix mater! cui nascitur aurea proles.
Et puer ô! felix, quem Diva puerpera fudit:
Gratia te, & virtus semper comitentur euntem,
Gloria te niveis semper circumvolet alis;
Angelicusque chorus tua stet cunabula circum.

Ja. Wittewronge, Coll. Magd. *Commens.*

Solen-

Ad Sereniſſimam REGINAM MARIAM *de* PRINCIPE *Nato gratulatio.*

SOlenni in Templis cultu Diis rite peracto,
Dum grates pietas reddere digna ſtudet;
En! tibi devoti votorum thura cremamus,
Debentur meritis talia dona tuis:
Vidimus haud pridem fato tibi ab ubere rapta
Ardere accenſis pignora chara rogis.
Vidimus exanimes natorum ad buſta rigantem
Privignam lachrymis oſſa cremata ſuis.
Hæc mala Tu nobis ſemel orto Principe penſas,
Tu reparas utero nobile ſtemma tuo.
Dii nobis faxint hæc gaudia propria, ſerus
Vibret robuſtâ ſceptra Paterna manu.
Sat Cœlum ornâſti, terram jam Regibus imple,
Diviſim mundum partus utrumque regat.

Henricus Ballew, A. M. *Coll. Regal.* Soc.

HInc vigiles paulum nobis ſecedite curæ,
Feſta vocant, paulum dure faceſſe labor.
Æthereus venit ille puer quem tota requirit
Anglia, quem precibus *Cambria* tota petit.
Aurea divino cum Principe naſcitur ætas;
Saturnuſque iterum vindicat aſtra ſuo

Impe-

Imperio, tandemque sibi *Lucina* Maria,
  Cœlestem in terris dat paritura *Jovem*.
Cresce Puer patriæ auspiciis felicibus orte.
  Quem natum simplex numen idemque triplex.
Visit, cui spondent æternam sidera pacem,
  Sis Rex ipse tibi, *Jupiter* esto *Jovi*.
At tu quàm felix restas Jacobe: senectus
  Raro *homines*, potuit gignere vestra *Deum*.

Gilb. Wharton, Coll. Magd.

Ad REGEM.

Dî faciles, Cœlumque pio expugnabile voto,
  Munera digna pluunt Principe, digna Deo;
Rex vincit precibus Divos, & viribus Hostem;
  Nil ultra, ô *Cæsar*, Cœli Hominumque Potens.
Ecce renascentis fulgentia Lumina Regni!
  En Rex Cognato sydere septus ovans!
Tot Manes Heroum, & magni nominis Umbræ
  Respirant hodie, quot periêre diu;
Fati damna Infans reparat, *Lucina* sepultos
  Fœlix in simili Prole reducit Avos.
Nec jam Te pigeánt decimi fastidia Mensis
  Diva Parens; nobis, sit Labor iste, Quies.
Tu Puer in Cunis magno prolude Parenti,
  Sit *Mars* in vultu, sit metuendus *Amor*;
Indolis ô stimulos! genitorem provocat actis
  Filius, & calcar Gloria Patris habet.

Mox ubi ſuccedent *Mavortia* prælia Cunis;
Qualis eris, Patre non Ore nec Enſe minor!

W. Reeves, Coll. Regal. *Soc.*

TEne ergo nobis crediderim, *Puer*
Auguſte, natum? Jam, ſuperi, ſat eſt,
Non plura poſco, non amantes
Flagitem ego meliora divos.
Quo jam feror quo numinis Impetu,
In alta raptus? Jam videor procul
Miſiſſe terras, & relictæ
Sub pedibus tenuantur urbes.
En conſulentes aſpicio deos!
Decreta ſummæ en audio curiæ!
Quos inter hos ſummus deorum
Ore ſonos roſeo reſolvit.
Jam tempus inſtat ſolvere quo meæ
Partum MARIÆ dicere ſæpius
Vobis ſolebam, non petentem,
Ulteriùs remorabor orbem.
Adeſte, divi, partubus inclytis,
Adeſte, divi, tuque adeò dea
Lucina, tu imprimis faveto,
Et fer opem auxiliante dextrâ:
Hic ille pro quo tam innumeras preces
Fudere gentes, munera tot meis
Infixa dependent columnis,
Speſque decuſque ſtupentis orbis.

Fir-

Firmata cum jam constituent virum,
Et lustra vires jam solidas dabunt,
Ardebit in pugnas anhelus
Æmulus in patris arma surgens.
Me copias, me consilium, & meum
Præbente numen vicerit omnia;
Amabit hunc & pronus orbis
Sin & amet, minùs hunc timebit.
Dixit; coronâ cum implicitum caput,
Clotho revincit, staminaque arripit,
Manuque festinâ triumphans
Sic placidos jubet ire fusos.

Colman, Coll Regin.

CResce Puer patriæ auspiciis felicibus orte,
Spes populi, Matris Gloria, cresce puer.
Tuque peregrinis toties vexata procellis,
Anglia nunc felix exere læta caput.
Aurea compositis promittunt secula bellis
Pacem regnabit nunc rediviva quies.
Hæc Natale Tuum spondet nam munera nobis,
Hic debetur honos, Dux memorande tibi.
Pendeat à Tanto populi cùm Principe Vita,
Angelus ad cunas officiosus eat;
Infantemque Dei conservet cura Supremi,
Nè tenero carpat viscera pestis edax.
Regalis spes una domûs, meliore senectam
Attingas fato, cætera dignus avis.

Wynne, Coll. Magd.

DVCIS CORNVBIÆ

TAndem, quæ petit has rarò nimis hospita terras,
In nostras etiam diffundit gaudia mentes
Euphrosyne, & vultus discussâ nube serenat
Arridens, mœstisque abigit suspiria *Musis*,
Natales comitata tuos, *Clarissime Princeps*,
O decus! ô spes *Angliacæ* dulcissima gentis!

Ergo *Carolidûm* genus immortale manebit,
Stat sacræ fortuna domûs, non illa popelli
Sacrilegâ temeranda manu, non illa Senatûs
Fraude, nec invidiâ fati violabilis ullâ.
En vegetus Princeps cœlo demissus ab alto!
Cui Deus è meliore luto præcordia finxit,
Nascentem juvit, natum servavit, ut Olim
Lapsis *Anglorum* possit succurrere rebus,
Atque *Stuartorum* nomen tot ferre per annos,
Fergusi quot abest *Infans* ab origine primâ.

Aspice, vicinæ lætentur ut undique gentes,
Inque tui partem properent, IACOBE, triumphi
Compositis humiles armis! Tua fama *Britannos*
Jamdudum, & nostras implevit gloria terras;
Nec laudes, & clara tuæ præconia Famæ
Hâc orâ, ac terris tantùm contenta *Britannis*
Fas hæsisse fuit: vasti trans æquora ponti,
Quà *Tybris*, *Rhodanique* altæ volvuntur arenæ,
Illa per ignotas volitat circumsona gentes.
Te pars una colit, miratur & altera mundi;
Hispani Gallique favent, amat *Itala* tellus,
Romanus meditatur apex: At conscius horret
Belga tuæ fulmen non eluctabile dextræ;
Incutis ipse metum quantum non *Gallia* fines

Jam

Jam ſuperans, tepidiſque volans exercitus alis.
Salve magne Pater patriæ, videaſque beatus
Natorum natos, & qui naſcentur ab illis.

Hen. Bowles, A. M. *Coll. Regal. Soc.*

TU *Lucina* novo puero divina faveto;
Qui decus huic ævo ſolum eſt, quo ferrea ceſſant,
Aureaque incipiunt decurrere tempora mundo.
Ille reget populos patria virtute *Britannos*,
Atque etiam ex pugnâ multâ cum laude redibit.
Vivat uterque parens tales producere Gnatos,
Qui populum hunc magni patris poſt fata gubernent.

Tho. Overman, Coll. Magd. *Commenſ.*

AUreus illuxit tandem, precibuſque vocatus,
Ominibuſque dies, tandem delabere coelis,
Optatoque tuos vultu ſolare *Britannos*,
O Patriæ ſpes longa tuæ! tutelaque gentis!
Accipe non falſos populi exultantis honores,
Lætitiæque ſimul jactas ad ſidera voces.
Aſpice venturo lætentur ut omnia ſec'lo!
Tota nitet rerum facies, innubilus aër,
Placatumque tibi diffuſo lumine cœlum.
Angliæ & æquoreas inter pulcherrima *Nymphas*

Languida quæ dudum sævis immersa procellis
Decubuit, subnixa tibi, recreataque tandem
Attollit caput alta, *Paterque* ex aggere *Camus*
Assurgit *Grantæque* fremens gratatur Ovanti.
Scilicet & tempus veniet cùm firmior ætas
Durabit validas tibi Princeps maxime vires
Tum Tu olim *Odrysios* fastus, populosque feroces
Contundes, surgetque iterum sub vindice tanto
Græcia, submittetque suas tibi *Bosphorus* arces.
Cresce ergo Patriæ auspiciis felicibus Orte,
Cresce Puer, mundoque citus succurre ruenti.

Johan. Maddockes, Coll. Eman. *Commens.*

ASsiduâ tandem victus prece cessit *Olympus*,
Irrita non superi vota redire sinunt.
Expectata diu soboles devenit ab alto,
Præbuit & faciles *Juno* benigna manus.
Sed peperit *Regina* iterum paritura que prolem
Regia ne fulchris sit caritura domus.
Vive puer, patriæ virtutis proximus *Hæres*
Invicte ô fatis, inviolate malis.
Cum post mille moras post mille pericula salvus,
Consilio patrum sceptra paterna geres;
Aurea tum tacito labentur secula cursu,
Pace datâ & terris serus ad astra redi.

Sic vovet *Richardus Hull*, Coll. Pet.

GENETHLIACON.

TAndem, tarda licèt, multùm exoptata diúque
Venisti tandem, Lux bona, pulchra dies.
Jamdudum *Angligenis dolor* ingens pectora torquet,
Curæ & mordaces intima corda premunt;
Nè malè deficiat Gens longo stemmate clara,
Luxque *Stuartiadûm* non reditura cadat.
Una dies tantas facit evanescere curas;
Et penitùs subitò pellitur iste dolor:
Nam tua lux nobis, serisque nepotibus olim
Lætitiam spondet, sec'laque fausta dabit.
Vive, vige, Puer alme, domûs spes una vetustæ;
Gaudia magna vehis, si modò firma vehis.

Joh. Westfield, A. M. *Aul. Pemb.*

Genethliacon Auspicatissimi PRINCIPIS.

SAlve læta dies, *Heroum* maxime salve,
Deliciæ Cœli, & magnum patris incrementum!
Non ultra externis transcribi sceptra colonis
O superi querimur, satis indulgentia vestra
Consuluit nobis: jam nunc Venerabilis *Infans*
Jam referens patrem, & celsi nitor igneus oris
Ostendunt, quantos mox est habitura triumphos
Anglia, dum ad patrios assurgit anhelus honores.
Quin tu Magne Pater, patriæ sacra anchora, torvo
Fulmineoque ausus toties ire obvius hosti,

Et

Et prohibere nefas, conferti ipſe agminis inſtar,
Semideum patriæ accendas Virtutis amore;
Et decus amplexari, & honeſtam prêndere laurum,
Infeſtos agitare globos, parvumque triumphis
Inſtitue, & magnis doceas præludere fatis.
Quam decet hoc, cui non tantum delata poteſtas
Non ſtellatus Apex vel opimi inſigne triumphi
Arrident, quantum ut venturo conſulat ævo?
Hocque adeò voluit titulis accedere (namque
Nil magis illuſtre eſt quam) quod pater exſtitit hujus.
Creſcas *Magne Puer* ſec'li melioris origo!
Nec tantùm ſtudeas bello inclareſcere, quantùm
Inſervire *Deo*, paciſque imponere leges.
Quin & *Saturnus* (rex olim atque incola *Olympi*)
Dum tenuit *Latium* tranquillâ in pace; beavit
Quàm tum rura *Ceres*, quàm pleno copia Cornu
Notaque fertilitas! Veſtri hic quoque ſanguinis author.
Diſce hominum mores contemnere, te quoque dignum
Finge *Deo*, ſtudiiſque audax inſiſtito patrum.
Moribus his *Princeps* incumbe, & nulla per orbem
Secedet regio, tantæ non pervia famæ.

J. Layton, A. M. *Coll. Regal.* Soc.

In Ortum PRINCIPIS.

CUr non colluſtrant lætos nova lumina Cœlos?
Nec nova ſtella micat parturiente *Deâ*?

Side-

Sidera victa suam lucem monstrare recusant,
Lumina & illius splendidiora sequi.
Sed Tua *Granta* magis clara est in Principis Ortum
Lux sacra, atque novo lumine læta micas.
Alma, *Stuartorum* crescente propagine, *Mater*;
Nectare odorato pocula sacra fluunt.

Jacobus Ayloffe, Aul. Trin. *Alumn.*

PEnè expiatum credimus hinc scelus,
Iramque cœli depositam novis
Moti favoris tam stupendi
Indiciis, *Deo* amata proles.
Non te cometæ cauda mali ferax;
Diemve partûs insolitus rubor
Præcurrit; omni te parentes
Prodigiò peperêre majus.
Quid debeas, ô *Anglia*, *Carolis*,
Testis rebelli libera jam jugo
Gens; & renascens vera ubique
Servitio pietas remoto.
O macte tanti tu generis puer
Virtute, magno nec patruo minor,
Ad sceptra succedas gerenda,
Lux patriæ, reliquisque terror.
Et te paterni, creverit ut vigor,
Sperant nepotes nominis æmulum,
Anteà nec exemplum petiti
Nobilius posuere cœli.

Sive

Sive in ſuperbos tu *Senones* pares,
Bellumve diris funebre *Cantabris*,
Te ſentient nota timendum
Militiâ, *Bataviqne* fortes.

Jo. Griffith, Trin. Coll.

Carmen Genethliacum PRINCIPIS.

ERgò exoptatam fatorum numina terris
Conceſsêre animam; nec votis *Pronuba Juno*
Obſuit, aut tenuit regales invida partus:
Salve ſerus honor thalami, ſalve aurea proles.
Te nunc immemorem regni *Venus* alma coercet
Et teneris membris divinum aſpirat honorem;
Nec Tibi *Martis* equi, necdum Tibi bellica curæ
Tela, nec infenſis meditaris prælia *Belgis*.
At ſimul ac gliſcat juvenilis pectore fervor,
Inſolitoſque paret niſus Tibi durior ætas;
Quantus eris? tunc & gaude fulgentibus armis,
Et patrem virtute refer; nec gloria cedat
Degeneri, nec laudis amor; juvet ardua curſu
Sylvarum ſuperare, hoſtemque urgere per agros
Implacidaſque acies; quanquam ah Tibi nequa furentis
Irruat ira feræ; nequo Tibi vulnere corpus
Et lacerum nigro fœdetur pulvere funus.
O mihi venturas ſi fas prædiſcere laudes,
Et quod facta manet decus! & quæ fama ſequetur!

Ille

Ille domum victor referet nova sæpe trophæa,
Imperioque addet gentes: Ille ipsa domabit
Otia, nec molli summittet pectora luxû.
Macte tuâ virtute puer; primosque labores
Aggredere, & magnis jam nunc assuesce triumphis.
Aspice Te flexo venerantes poplite gentes,
Surgentemque chorum *Phœbi*: Tibi Martia fortes
Dona ferunt reges; Tibi molles lilia *Nymphæ*,
Et tenui *Aoniæ* cultu munuscula *Musæ*.
Ipsa Tibi lætas instaurant rura choreas,
Certatimque ineunt numeros, & carmina dicunt
Grata *Deis*; ipsi jactant ad sidera voces
Insolitas montes: nullo quia munere *Parcæ*
Promeruêre magis; nisi quòd superesse parentem
Ulteriùs, seramque sinant producere vitam.

A. Reid, Coll. Regal. *Alumn.*

PRincipem cunis recubare vidit
Ut *Venus*, suaves meditata ocellos,
Et decus frontis placidosque risus,
Diva profatur.
Tu puer nascens leve non ministras
Gaudium; de Te, meliora fas sit
Indies læto populo auspicari,
Spe nec inani.
O Poëtarum malè sana Turba!
Tres mihi fingunt *Charites* ministras;

Gratiæ circa Sobolem JACOBI
Mille vagantur.
Par meo *Marti* Genitor videtur,
Dum ciens turmas furit inter hostes;
Et tuos vultus superat, *Cupido*
Regius infans.
Quod favet Genti, *Venus Anglicana*;
Nescius fari puer indicabit,
Angliam, quæ me tulit, *Amphitrites*
Alluit unda.

Langley, Coll. Gonv. & Caii.

DA *Jane* vultus undique lucidos,
Impone finem sollicitudini:
Tollantur & vani timores,
Et populi trepidantis æstus.
Promissus orbi *Julius Anglico*,
Missus Tonantis numine provido,
Aufert malignorum susurros,
Compositum recreatque vulgus.
Testatur infans nobile par Deûm,
Ridensque torva fronte viriliter
Ingens vocari jam potentis
Martis amat *Venerisque* natus.
Magnum rogamus, *Jupiter* id tamen
Debetur altæ Principis indoli,
Ut æqua Diis, tantique regis
Æmula sit numerosa proles:

Sin

Sin fata terris invida denegent,
Hic ſerus orbi, poſcimus, imperet
Colendus æternùm *Britanno*;
Auſpice Te minor, & Jacobo.

R. Stokes.

Ad PRINCIPEM.

FElices verè tandem ſalvete *Britanni*,
Ponite jam grati placidis libamina *Divis*
Largaque congeſtis onerate altaria donis.
Dii bene quod nobis faciles in vota, caducum
Cœlitus immiſſo firmarunt Principe regnum
Angliacum; naſci ſuperâque hìc veſcier aurâ
Infanti omen erat (quàm verè Regius infans!)
Te nato occiduis Sol clarior emicat undis,
Ipſæ ſponte virent ſegetes, & conſcius ipſe
Meſſibus albet ager, pronis ſe ſubjicit arbor
Officioſa comis, rident volucreſque feræque;
Infantique ferax indulget gaudia tellus.
Anglia naſcentis laudes miratur & implet,
Innatumque patris præſumit læta vigorem.
Audiit exultans nec non longè *Itala* tellus
Et quà terra patet cantatur Regia proles.
Fallor? an in cœlis cum *Muſis* ſaltat *Apollo*,
Et *Mars* cum *Saliis* pictis conſpectus in armis,
Horam natalem læti celebrantque choræis?
Dicite *Lucinam* gravidæ vos dicite Matres

Quæ primam teneris dat *Regibus* una salutem;
Auspice quàm magnâ *Regina* in prole triumphet.
Imperium extento JACOBUS proferat ævo,
Pax caput impediat ramo felicis olivæ;
Cujus ab auspiciis felicia regna capessat
Princeps, magnorum nequaquam indignus avorum,
(At serò) Patris regnet post fata superstes.

Joh. Canham, Coll. Regal. *Commens.*

In Auspicatissimum PRINCIPIS *Ortum.*

ATtulit, en! nobis optantibus, attulit ætas
Egregium decus, & solamen dulce *Britannis*;
Magna etenim soboles, non illætabile donum,
Insolito *Angliacas* perfundit lumine terras.
In cunis quantus, quàm regius emicat *Infans*!
Jam nunc virtutis præludens signa futuræ
Dat grata, & famam teneris conatibus urget,
Majestate nitens, & multo numine plenus.
Ipse Pater mentem oblectat cum pignore charo,
Et mirè expressum in placido se spectat *Iülo*.
Tanta sui nato simili florescit imago.
At Mater puero munuscula porrigit alma,
Et sensus explere nequit, gaudetque tuendo,
Conscia virtutis Superûm, fatique benigni.
Anglorum longè præfulsit gloria, magnis

Diis

GENETHLIACON.

Diis servata diu, & pulchro nunc clarior ortu.
Fortunati *Angli*! præsens vos dextra tuetur
JACOBI, ventura ætas defendet *Iüli*.
Surge, igitur, felix, dulcissima cura Deorum,
Surge, *Puer*, felix, spes sola & justa Parentum.
Magnus in hoc ævum fatorum distulit ordo
Te benè jam natum, ut *Thetidi* insultare feroces
Horrescant *Batavi*, legesque imponere duras,
Attoniti nimium JACOBI fulmine justo.
Ingredere, ô Soboles, *Divi* vestigia *Patris*:
Sit pietas cordi, sint belli fortia facta,
Musarum æternum serves sub pectore amorem.
Hoc, JACOBE, velis, & nos speramus Alumno.

Robertus Smith, Coll. Regal. *Alumn.*

In PRINCIPEM, *Natum* 10. Jun.

I Triumphales, *Dea picta*, currus;
Scande: linguas indue mille claras,
Præpeti cursu volitaque totum
Fama per orbem.
Audiat *Tygris*, tepidæque *Gangis*
Audiant undæ, *Anglia* quam beata est,
Quanta miserunt facilesque *Divi*
Gaudia mœstis.
Flevimus nuper seriem Deorum
Penè confectam, subito dolores

Tri-

Irriti ast in læta abiêre festa
Principe nato.
Quantus & quàm terribilis futurus
Hostibus, læto populoque charus,
Sat sui exortus nitida & benigna
Indicat hora:
Nam dies idem peperit, nitebat
Et pari vultu *Deus* Huic & Illi,
Principis nigri titulum dedit cui
Territus orbis.

Joh. Legg. A. M. *Coll. Regal.* Soc.

QUales Ruricolæ, cum jam diluxerit æther,
Propitium expectant Solem, cœloque supinos
Intendunt oculos, spem profert quisque Sereni,
Et bene conjiciunt hesterni è lumine *Phœbi*;
Mox *Thetidis* gremio stillantem rore capillos
Nascentem aspiciunt, radiisque rubentibus almas
Stringentem segetes læto clamore salutant;
Prospiciunt sine nube diem, sine turbine sudum:
Sic cùm fama (bonum quo non est gratius ullum)
Te cecinit jamjam Matrem, *Regina*, futuram,
Continuò gravidi nos spes concepimus almas
Augeri tecum, & tecum marcere paratas;
Cumque optata dies, votis properata *Britannis*
Protulit infantem, felicem dicimus ortum,
Et læti jam crescentes insurgimus in spes;
Turgentes Regum generoso sanguine venæ.

Quæque

Quæque nitet viridis Majorum gloria Fastis,
Et jam nunc spirans tanti genitoris imago,
Et tenero pueri gliscens in pectore virtus
Nos quantum sperare jubent!
Insula læta caput plaudentibus expedit undis,
Conceptisque pium verbis testatur amorem:
Cura ô grata *Deûm*, cœlo demisse profundo,
Ingens ad nostræ accedis fastigia famæ;
Corda *Britannorum* variis signata figuris
In te conveniunt, tu jurgia dissona mulces;
Devincis patri populum, populoque parentem,
Et concordantis fidum tu pignus amoris:
De Te Nos de patre Tuo jactabimus olim,
Quàm *Jove Creta* suo se jactat, *Apolline Delos*.

Tho. Evans, Coll. Regal. *Alumn.*

Ad PRINCIPEM.

CUm corruenti regiæ familiæ
Et nomini, ô *Princeps*, venis solatium;
(Suffragio non absque Numinis! licet
Fanaticorum maximis ingratiis)
Simillimum ut semper *Stuartis* te geras,
En! en! tibi sese æmulandos exhibent
Proavus, *Avus*, *Patruus*, *Pater*, reges quidem
Prudentiâ, pietate, misericordiâ,
Virtute, juxta nobiles ac strenui.
Hos si sequaris, verticem à rebellibus,

Ab

DUCIS CORNUBIÆ

Ab hostibus regnum, fidem Apostolicam,
Ab impiis schismaticis tuebere.
At interim nos ô beatos pernimis!
Si te, te in uno hæc intuemur omnia.
Immanè verò quantus, ô Princeps, eris!
Cum è quatuor sis constitutus maximis.

T. Johnson, Coll. Eman.

Ad REGINAM *de Duce* CORNUBIÆ *Nato.*

QUòd Pallas, Regina, dea es, tua forma, Labores,
Doctrina, Ingenium, summaque dona probant:
Nam benè Brutigenûm en! tandem miserata dedisti
Palladium, nobis spem, decus & Columen.

Johan. Harrison, Coll. Pet. *Generosus*.

ΚΟῦρον ἄειδε θεὰ Βρεττανιάδεσσι βασιλῆος
Θεῖον Ἰακώβοιο, φίλα φρονέων, ὃν ἔδωκε
Ἐν μεγάροισιν ἑοῖ παρακοίτιδος ἔκ τι γλυκείας
Ζεύς· ἐθέλων Ἄγγλοισι φάος καὶ κῦδος ὀπάζειν
Τερπωλὴν γλυκερὴν βρέφος τι φίλοισι τέκουσαν.

Τῷ

GENETHLIACON.

Τοῦ τ' ἄρα εἴπερ γ', ὑπό τοι τετελεσμένον εἴη,
Νήπιος· ἀλλ' ἀφάμενοι δὲ Διὸς δ' ἐπιτελλέο βουλή.

Νῦν ἄγετ' οὐρανίων πολύδωροι ἦτε Ἀοιδοὶ,
Οἵ τε παρ' Ὀξόνιον καὶ Γραντίων ναίετε πόντον·
Ὕμνον ἐν πραπίδεσσιν ἰδμοσύνῃ ἔνθεν ἦτορ.
Καὶ γὰρ εὐπλόκαμοι Χάριτες τέρποντο καὶ αὐτοὺς
Μοῦσαι θ' ἡδυεπεῖς· γήθησε δὲ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ὃς μαντευόμενος τοίοις ἐπέεσσιν ἐνίσπεν.

Κέκλυτε μέν ῥα θεοὶ οἱ Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Ὄφρα ἐγὼ εἴπω τά με ἔνθαδε θυμὸς ἀνώγει
Δεινὰ, Ἰακώβοιο νέου τυτθοῦ περὶ παιδὸς.
Ὃν μὲν ἀείδω νῦν, ποτ' ἀμύμονά τε κρατερόν τε,
Ἄγλαον, ὃν πάντεσσι καὶ ἔξοχον ἠρώεσσιν,
Καὶ Μούσῃσι φίλον, καὶ μαλθακὸν, εἰσορόωσιν·
Ἕρκος δ' αὖ Βρεταννοῖσιν ἑοῖς μέγα γίνεται εἶναι
Χάλκειον, στιβαρόν τε· αὐτοῦ γὰρ σκῆπτρα φέρων
Βάκτρον καὶ πέρας ἑξ ἐθέρος Βρετανίδα γαῖαν
Βλαστήσει σφὶν αὐτὰρ ζείδωρος ἄρουρα, κατ' ἀγροὺς
Κτήνεσιν ἠδὲ βρύει, οἶκος δὲ γεμίζεται ἐσθλῶν
Καὶ ἅμ' ἀεὶ ὄλβος τε πολὺς καὶ πλοῦτος ὀπηδεῖ.
Οὐδέ κεν, ὡς τὸ πάρος, κῦδος Κελτοῖσι λίποιεν,
Ἴσαις ἀλλὰ πλέων νηυσὶ εἰς Φραγκαΐδα γαῖαν,
Οὐ κράτερον πρὶν παύσῃ ἑὸν μῦθος, ἀλλ' ὁπόσον δὴ
Δοῖεν σκῆπτρα, θέμιστας· ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ.
Ἀλλ' ὅτε οἱ θανάτοιο κακὸν τέλος ὄμμα καλύψει,
Ἡμιθέοισιν ὁμοῦ ἐπὶ ἀθανάτοισι μίγηται·
Τοῦ γὰρ Ζεὺς ὕπατος μέγα κήδεται ἠδ' ἐλεαίρει,
Θεσπέσιόν τε νόον στήθεσσιν ἑοῖς ἐπέχευεν.

Ὣς ἄρα φωνήσας Φοῖβος, γήθησ' ἐνὶ θυμῷ.

[illegible]

Ἄλλοις τοὺς δὲ θεοὺς [illegible]
Σκιρτῶσιν τε· [illegible]

Ὦ φίλε παῖ, [illegible]
Χαῖρε· πολλῷ δὲ [illegible]
Καὶ σκῆπτρον φορέοις [illegible]
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν [illegible]

Ἡμεῖς οἱ δὲ περὶ Γράντην [illegible] βωμοὺς
Ἔρδομεν ἀθανάτοισι, σέο, κλειτὰς ἑκατόμβας.

T. Johnson, Coll. Eman.

RESpiciunt orbas tandem bona Numina terras,
Nostraque cœlesti munere regna beant;
O nos felices! en magnus nascitur Infans;
Thura litat placidis *Anglia* grata *Diis*:
Cresce Puer, liceatque ipsum superare Parentem,
Virtutesque, hæres, & tria regna cape;
Hoc cupit ipse Pater, cupit hoc & Regia conjux,
Hoc optat precibus *Scotia* læta suis;
Hoc ardore cupit simili glacialis *Ièrne*;
O, si vota valent plurima, quantus eris!

Johannis Orlebar, Aul. Clar.

Z[illegible]
Ὃς μὲν παῖδ' ἀγαθὸν μεγάλοισιν ὄπασσεν Ἄνακτος,
Παι[illegible] οἱ ὑπήκοοι ἐσμέν.
Τὸν πατέρ' ὠρρώδευν Ῥῆνος τ' ἴφθιμον ἐόντα
Καὶ Ῥοδανοῖο ῥόος, πολὺ καὶ πρεσβύτερος γε Γαρούνα·
Δείγματα τῆς ἀρετῆς ἰδίας μὲν ποῖα δέδωκε.
Δοίεν σοι δὲ, [illegible]
Ζεὺς πάντως τι Θεός [illegible]
Δειμαλέ' ὅπλα ποιῶν ὁ ἐχθρῶν ἢ [illegible]
Ἤματα πολλὰ πατὴρ [illegible] ἄνθρωπον
Ἀλλ' ὅταν ὀφθαλμ[illegible]
Αὐτοῦ τῆς ἀρετῆς ἄθλ[illegible]

Guliel. Quarles, Coll. Eman. *Alumn.*

Dum fausto, Princeps exultant omnia seclo,
Natura & vernas fundit amoena rosas;
Conscia votivâ testatur gaudia chartâ
Pieris, ante pedes ambitiosa Tuos.
Felix usque labos *Matris* parientis & hora;
Gratæ lætitiæ causa fit ille dolor.
Sic gravidam *Alcides* onerabat pondere Matrem
Fulciet Hic Patriam, fulcit ut ille polum.
Auspicio duplici nixa hinc, Natique, Patrisque,
Albion, ut posthàc cresces honore novo!
Haud aliter memorant, post bella infausta Gigantum
Sub Superis Cœlum plus viguisse *Jove*,

Auxiliis secura tuis erit æmula Cœli
Anglia, habetque suum Terra Polusque *Jovem*.

Rob. Cotton, Trin. Coll.

GAudium quantum resonantis urbis!
Dulce JACOBI populique votum,
Filium nobis peperit beatum
Regia Conjux.
Gaudeant *Angli*, precibusque votum
Debitum solvant, resonent & hymnis
Qui bonum tantum peperêre nobis
Templa Deorum.
Parve magno Nate puer parente,
Seculi spes, atque decus futuri;
Patrios dignos imiteris actus
Patris imago.
Te probes magno genitum JACOBO;
Carolo dignum patruo nepotem;
Stemmatis clari memor, & beati
Martyris esto.
Tempus *Augusti* Superes secundis
Rebus, & nobis moderere patrem
Post tuum; lætâ tibi pareamus
Pace *Britanni*.
Supplices numen, precibusque Divos
Poscimus, nostrum tueantur ingens
Gaudium: vivat vigeatque nobis
Regius infans.

Ed. Foster, Coll. Regin.

GENETHLIACON.

Votum pro PRINCIPE.

TArda suam tandem ditârunt numina gentem,
Angliaque Hæredis sospes honore novo est.
Luminis en! gratas *Infans* emissus in oras:
Est tanti sanctas fundere posse preces.
O serum *Divûm* munus! gratissima Proles!
Quam peperit gentis, pulcra MARIA, decus;
Te *Charites* servent in Cunis; nullaque pestis,
Aut vis morborum Te violenta premat:
Crescas, fortunate *Puer*; jactaverat olim
Creta Jovem, te nunc Terra *Britanna* suum.
Sis quoque par fato; & discat venientibus annis
Imperium mundus velle subire tuum.

Jos. Alsop, A. M. *Coll. Regin.* Soc.

Ad PRINCIPEM, *Infantem.*

Carmen Εὐκτικόν.

INfans Fauste, Tui gratissima cura Parentis,
Tot Regum soboles, seriemque auctura priorum;
Accipe, quæ Superis pro Te pia vota *Britanni*
Effundunt. Annos conservent Fata tenellos,
Incolumemque ferant, dum Te Maturior ætas
Destinet instructum Regnis, & rebus agendis.
Tum nemo majora gerat vel pace vel armis:

Sed

Sed generis priscos contendas vincere honores,
Ipsis Ipse decus. Superes Pietate Beatum
Martyra Avum: nullas habeat clementia metas
Ast animam *Patrui* placidam, *Proavique* scientem,
Magnis invicti *Patris* virtutibus addas.
Sic Tua Majorum præcellat gloria famæ
Deque Tuis gestis æterna volumina fiant.

Jo. Leng, A. B. *Cath. Aul.*

ΝΥμφαι Βρεττανίδες, περικαλλέα εἵσατ' ἰοῦσαι,
Στησάμεναι τε χορούς, ὑμνεῖτ' Ἰάκωβον ἀγαυὸν
Ἡμέτερον Βασιλῆα, ἀγακλειτήν τε Μαρίην
Αἰδοίην παράκοιτιν, ὅτ' ἐξεγένοντο γονῆες
Υἱέος ἡμερόεντος, ὃς Ἀγγλοῖς εὐδομένοισι
Τόσση τέρψις ἔσεσθαι ὅση ἐλπὶς παρεόντων.
Κλείετε καὶ τὸν παῖδα ποθεινόν, κλείετε νύμφαι
Φθέγξατε δ' ἀλλήλαις παραμειψάμεναι ὀπὶ καλῇ.

ΧΑΙΡΕΤΕ τω μεγάθυμε Πάτερ καὶ πότνια Μῆτερ
Καὶ τεκέων τοίων μετόπισθε γένοισθε τοκῆες
ΧΑΙΡΕ Βρέφος καὶ κῦδος ἀγαυὸν ἔσσο Βρεττανῶν.

GENETHLIACON.

PUblica *Lucinam* jamdudum vota morantem,
 Atque diu steriles passa MARIA toros,
Spes sobolis dum penè cadit labefacta, beato
 Pondere persentit jam tumuisse sinus.
Tandem exorato demissum pignus Olympo
 Protulit, & sexu fit meliore parens.
Grande moræ precium at Cœlo cunctante recepit
 Anglia; jam votis nil superesse putat.
Quin alios Heroas, & altera surgere sec'la,
 Fatidico afflatu pectora tacta vident.
Nec populum ulterius nimis anxia cura remordet,
 Quem regnare, suo tempore, fata velint.
At tibi *Magne Puer*, metiri ut longius ævi
 Contingat spatium, sorsque, *Deusque* dabit.
Nec properes regnare prius quàm laudis Avitæ,
 Ornantem titulos cernet uterque *Parens*.
Grandis *Ephebus* adhuc, *geminæ* decora inclyta *stirpis*
 Exsuperes, magno vix *Genitore* minor.
Hinc tibi quâ nullo se gloria limite sistet,
 Ultima Virtutis meta futura tuæ est.
Antea quàm tanti mensuram nominis imples,
 Ah! tibi ne rapiet mors properata *Patrem*.
Olim, nè puero sub Rege fuisse queramur,
 Stringe *Patris* forti debita sceptra manu.

Robertus Sacheverell, Trin. Coll.
Commensalis.

DUCIS CORNUBIÆ

ASsiduis cœlos supplex tandem *Anglia* votis
    Flexit, & à Superis labitur ecce Jubar!
Descendit cœlo turmâ comitante coruscâ,
    Dissipat & nitido nubila prisca throno;
Cambria plaude manus, *Princeps* tibi nascitur, euge!
    Cambria plaude manus, nascitur euge puer!
Cujus ad aspectum tibi reddunt pignora montes
    (Qui quondam steriles) luxuriatque pecus;
O quam felices secum advehit atque Serenos
    Ille dies! ô quam tempora grata tibi!
Huic ingens sit *Juno* altrix, dentesque tenellos
    Illæso mittat lætus ab ore puer;
Vivat, & huic *Lyra* dulce melos *Lyra Cambrica* spiret,
    Scoticus insolito dum *Leo* more salit.

Gulielmus Smith, Coll. Jes. *Alumn.*

Ad REGEM.

REgi fida cohors magnos iterate Triumphos,
Et celebret plausu rediviva *Britannia* læto.
Præcipuum Cœli Tu, munus, summe Deorum,
Tu JACOBE favor; tibi texunt gaudia filis
Æternis Superi, soliumque immobile servant.
Namque optata diu cœlo dilabitur alto
Sera licèt, soboles, meritis jam debita vestris.
Præteritos mirè pensans, Rex magne, labores.

Præ-

GENETHLIACON.

Sic olim *Abramus* peregrinis juſſus in oris
Quærere promiſſæ campos, & gaudia, terræ;
Optatis tandem, cœlo plaudente, locatus
Sedibus, emiſit clari monumenta Trophæi,
Æternâ & terras decoravit prole beatas.
Ille Patris ſoboles divini vera, paternas
Ornabit ſedes, & ſerus ſceptra tenebit.
Proximaque huic ſobolem, ſobolis ſeroſque Nepotes
Sec'la dabunt; ſanctumque erit indelebile nomen.
Lætæ ergò, Infanti, ſylveſtres ferte coronas
Nymphæ, ferte roſas, date lilia, ferte Hyacinthos
Purpureos, gratiſque intexite tempora myrtis.
Hic etenim decus *Angligenum* eſt, Hic cura Deorum:
Pace, illo regnante diu, & pietate fruemur,
Aurea venturò & ridebunt tempora ſec'lo.

Ad PRINCIPEM.

QUalis ab *Eois* ſe tollens *Phoſphorus* undis,
  Prædicit luces inde redire novas.
Et qualis rubros pandens, Aurora, colores,
  Admonet optatam, clara, calere diem.
Sic tua, quæ læti canimus, natalia, jactant
  Gaudia, magniloquis, mox aditura, ſonis.
Qualia ſed mediis vibrabis fulgura cœlis,
  Lux cujus claram dat modo nata diem?
Vive, extolle pios, tumidos ſed frange Rebelles,
  Sacra tene, paci conſule, vive diu.

Johan. Turbill, Coll. Regin.

DUCIS CORNUBIÆ

REgie cresce Puer, dum blanda crepundia, ludi
Infantumque juvant, sospitet ipse Deus.
Ut crescas annis, crescas virtute, trophœa
Majorum videas, & meliora petas.
Anglia tunc meritò Heröas jactabit; & omnis
Qui te præcessit, cedet honore tibi.

Joh. Gray, C.C.C. *Alumnus.*

Ad REGEM.

EXpectata diù tandem lux illa refulsit,
Cumque Patre Imperium *Cæsare Cæsar* habet:
Romani tantos nunquam cecinere triumphos,
Cedunt lætitiis, *Anglia*, quæque tuis.
Hoc precor, ut fias (nostris Deus annue votis)
Ter fœlix Nato, Rex IACOBE, Tuo:
Sit Decus *Anglorum*, Tutamen Te moriente,
Et Patriæ Princeps sit Pater oro Tuæ.

J. Westwood, A. B. Trin. Coll.

Genethliacon PRINCIPIS.

QUin vos, ô, nostri valvæ pateatis *Olympi*,
Propitiæ pateatis, & hæc solennia dona
Serpere regales inter dignemini honores:
Sic tibi nascenti longum decus annuat alba
Atropos; æternas lauros sic Augur *Apollo*,
Virtutisque instar Patriæ, spes inclyta nostri
Orbis, & *Angliaci* clarum fulcimen honoris,

Hoc

GENETHLIACON.

Hoc ingens populi plausus promisit ovantis,
Hoc festi lætis cumulati altaribus ignes,
Et redimita chelys, longi & memor amphora sec'li.
Ipse suos *Genius* præsens miratur honores,
Tempora *Achæmeniâ* distillans pinguia nardo;
Sis bonus, ô, felixque tuis, ait, Optime Princeps,
Gentisque æternùm modereris sceptra *Britannæ*;
Sic *Pylio* ista dies veniet numerosior ævo,
